

54
Q. F. F. q. S.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE

INTERITUM MUNDI,

Quam,
Indulgente Inchyto Colleg. Philosoph. Aboënsi,

PRÆSIDE
**CAROLO FRIDERICO
MENNANDER,**

Scient. Natur. PROFESSORE Reg. & Ordin.
PASTORE in Rändämäki, &
Reg. Acad. Scient. Svec. MEMBR.

Pro LAUREA

Publica censura submittit

MATTHIAS LÆNGMANN,

OSTROBOTNIENSIS,

Ad diem XII. Julii, MDCCLI.

In Auditorio Christineaneo Majori,

Horis ante meridiem solitis.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn.
Duc. Finland. JACOB MERCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS

MAXIMÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo Patri ac Domino,

**D^{NO.} JOHANNI
BROWALLIO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI

Consummatissimo,

Diececeseos Aboënsis EPISCOPO

Eminentissimo,

Academiæ ad Auram PRO-CANCELLARIO

Magnificentissimo,

Senatus Ecclesiastici & Academici PRÆSIDI

Gravissimo,

Scholarum per dicecesin EPHORO

Adecuratissimo,

Reg. Societatis Literariæ Holmiens. MEMBRO

maxime inelyto,

MÆCENATI SUMMO.

Dum ad celebratissima gratiae TUÆ aram humillima
mente provolvitur, quidquid auctoritate muniri,
maximaque benevolentia foveri cupit; eodem etiam, præ-
sidium splendoremque omnem a REVERENDISSIMO
NOMINE TUO mutuatum, summa veneratione conten-
dit rudis hæc & immatura, de re maxime ardua & dif-
ficili, opella. Qui quidem si audax videbitur conatus,
spem tamen de venia fecerunt certissimam insignia gratiæ
& benivolentiæ TUÆ documenta, maximis ubique præ-
coniis decantata, quæ gratissimo sensu imprimis experti
sunt omnes, quotquot TUIS sub auspiciis ad Athenæum
hocce Auraicum musis litarunt. Suscipe vero, qua soles,
serena fronte, meletema hoc, sola materiæ dignitate com-
mendabile, in æternum pietatis devotissimæque mentis
pignus TIBI sacrum. TUA in rempublicam omnem me-
rita; immortalitati jam dudum consecrata, TUASQUE
virtutes supra mortalium sortem constitutas venerantur
& suspiciunt omnes, ipsaque sera posteritas venerabitur.

Ego

Ego cultu & veneratione eas tacitus prosequor, que omnem animi verborumque meorum vim superant atque excedunt. Eam præterea servabo indolem, ut TE, REVERENDISSIME PRÆSUL, TUAM vitam TUAQUE conamina præclara, providæ Numinis curæ, ardentissimis precibus commendare nunquam desistam. Servet TE quam diutissime Supremus rerum Arbiter, omni felicitatis flore beatum! Servet TE Patriæ, Ecclesiæ, Rei Literariæ, nobilissimæ TUÆ familiæ, TUISQUE clientibus in Pylios usque annos! Ita vovet

REVERENDISSIMO NOMINI TUO

omnium humillimus,

MATTHIAS LÆNGMANN.



B. C. D.

CAPUT PRIUS, HISTORICUM.

§. I.

Quemadmodum eum in finem artificiosissimum hoc ac vastissimum mundi systema in theatrum existentiae prodire iussit supremus universi Conditor, ut in ipso, veluti in speculo, invisibiles suas & infinitas perfectiones rationalibus creaturis luculenter intuendas sisteret; sic attentum quemavis & sana ratione utentem operis Divini spectatorem, non modo ad existentiam summi Creatoris agnoscendam, sed & attributa ejus perspicienda solertiusque indaganda, facile convertit sanior & circumspectior systematis hujus consideratio. Contingentia enim ipsius, in omnibus ubique conspicua, & entis necessarii atque infiniti existentiam, & mundi ab hoc dependentiam satis superque arguit; uti vastitas ejus, nexus, pulcherrimaque omnium constitutio & harmonia, attributa entis summi infinita produnt, exprimunt atque declarant.

Sive animum ad corpora mundi totalia advertat natura scrutator, eorumque multitudinem, magnitudinem, figuram, situm, motum, distantias, inclinationes, variasque ad se invicem relationes, atque singulorum denique qualitates, mutuum

A

nexum

nexum & aptam coordinationem, consideret; sive mente cogitationibusque in globo hoc terraqueo defixus habeat, huiusque materiam, formam, externam faciem, partiumque proportionem, ceteraque, secum reputet; sive corpora partialia, quorum feracissima est, quam incolimus, tellus, in omnibus tribus natura regnis, examinet; horumque partes, combinationem, membrorum conformationem, structuram, attributa, vires, agendi rationem, varias mutationes ipsasque natura leges, scrutetur & expendat; sive denique aëris & atmosphaera constitutionem, materiam luminis meteororumque phaenomena & usus, animo pensitet atque evolvat; stupenda in omnibus infinita sapientiae & potentiae indicia atque documenta animadvertet. Nec quidquam, in tota rerum universitate, vel minimum quidem, deprehendet, ex quo singula summi Numinis attributa, legitimo nexu derivare non possit. Et sane non caelos modo, & quidquid splendidum magnificentumque apparet, sed & ipsas nebulas, nubes, rores, pluvias, nives, grandines, virtutum divinarum praecones cum Davide mirabitur, & sic ἀάωρα Summi Dei ex operibus ejus intelligi & perspicere lubens agnoscat. Rom. 1: 20.

§. II.

Quæ vero sic animum percellunt divinæ virtutis vestigia, abunde in operibus creationis ubique sparsa, negligentius contuentes mortales, ex stolidi mundi adspectabilis admiratione, in varias erroneas & monstrosas, de artificiosissima universi compage, opiniones, recta excidentis via, sæpius fuere prolapsi. Quod & omnium fere temporum deploranda satis superque testatur experientia. Non enim defuerunt homunciones,

nes, qui, nescio qua præjudiciorum, vel corruptæ naturæ caligine occæcati, aut desidia pravaque libidinæ, aut corruptis & dissolutis moribus abrepti, mente ex universi hujus latifundio emergere, animumque ad summum tanti operis Auctorem attollere, noluerunt vel neglexerunt (l). Hi naturali lumine, quantum in iis, suffocato, sensuum judiciis nimis stantes, dementiæ eousque processerunt, ut opus cum opifice confundentes, adspectabilem hunc mundum vel pro ipso Deo varie modificato, sive substantia & qua constitutionem & consecutionem necessaria, existentia suæ omniumque in se rationem continente, adeoque alio ad existendum non indigente, habuerint (a). Alii, eo quidem audaciæ non progressuri, meliora tamen vix sapientes, eum pro foetu quodam divino, naturali necessitate, sive qua materiam tantum, sive formam quoque simul, ex essentia divina procedente seu emanante venditarunt, vel alia quacunque ratione eundem essentiali vinculo in eandem cum Deo naturam conjunxerunt (b). Aliqui porro, tantam evitaturi stultitiam, mundi quidem a Deo diversitatem agnoverunt; eum tamen, vel qua materiam, ex qua illum formasset & effinxisset divina virtus, independentem (c), vel totum, qualis est, & quo ad materiam & formam simul, ipsi Deo coæternum (d) somniarunt. Alii alia ratione omnem Dei sensum proscribere allaborarunt (e). Ex male sana vero mundi contemplatione originem ducunt, non modo Atheistarum & Gentilium illorum, sed & Deistarum, Pantheistarum, Naturalistarum & denique Materialistarum recentiorum de-

liramenta. Quin eidem quoque infaustas natales debent, quæ ex eorum scholis ad Christianos transfierunt, perversa de mundo dogmata, seu potius commenta. Quorsum, præter varias alias nullius usus sed angvem sub herba abscondentes controversias, vel maxime referas infinitudinem mundi, horrendis fœcundam consequentiis; quam post *Anaximandrum* & *Anaximenem*, ceterosque gentiles, *Franc. Patricius*, *Guil. Gilbertus*, *Cartesius*, *Carpovius*, mundo, adjudicarunt, & maxime *Cantzius*, qui magno argumentorum apparatu, reali analogam quandam ejus infinitatem defendit. Spectat quoque huc, ut alia taceamus, ex intempestiva eadem mundi admiratione, similiter derivanda somnia, æternitas mundi, quam, licet non quidem actuale, possibilem tamen itarunt, cum *PERERIO* Jesuita, ex nostratibus nonnulli, falsa æternitatis notione delusi.

(1) *Cum pro diversitate opinionum, quas de ipso mundo, ejusque origine, foverunt omnium temporum Philosophi, varia quoque existant de interitu ejus sententiarum divortia; principia veterum, quæ hac paragraphe breviter attigimus, paulo uberius ex antiquiorum monumentis discutienda nobis sunt. Ita enim coherent, quæ de mundi ortu atque interitu tradunt, ut ordine hæc exponi, nisi iis præmissis, nequeant.*

(a) *Omnium vero primo notari heic meretur BENED. de SPINOZA, cum pestilentissima sua Atheorum caterva, qui principia Atheistica, & quidquid ad Deum cum mundo confundendum quocumque modo facere ipsi visum fuit, in systema redigere, nefario ausu, adgressus est. Hic unicam tantum statuit*

tuit substantiam, duobus summis attributis, cogitatione scilicet & extensione infinita, pradam. Prout autem duo hac attributa varie modificantur, sic varias etiam exinde oriri animas, variaque corpora, docet. Hanc substantiam Deum appellat; omnia vero, que existunt, tanquam modificationes istius substantie necessarias, naturali & necessaria consecutione, se invicem excipientes, concipienda esse dicit; adeoque mundus ipsi nihil aliud, quam Deus modificatus est. (vid. Ethic. ejus passim, imprimis vero part. I. & II. Confr. Stapff. Theol. Pol. Met. Scient. Cap. VI.) Nec ab illo longe recedunt Athei reliqui, mundum absoluta & intrinseca necessitate quocumque denique modo existere contendentes. (Confr. Stapff. l. c.) (b) Antiquissimos quod attinet populos, eorum philosophi, canonem, ex nihilo nihil fit, ad instar axiomatis fundamentalis, testibus Aristotele (Phys. L. I. Cap. 48. Metaph. L. I. C. 3.) & Cicerone (Libr. II. de divinat.) communiter receptum, male intelligentes & perverse explicantes, in eo consentiunt fere omnes, ex quacumque demum familia fuerint, quod duo admiserint omnium rerum principia coeterna, Deum scilicet & materiam, ex quibus constare putabant, que existunt omnia, atque sic aliquid semper in mundo aeternum agnoverunt. Rerum vero ex istis originem exposituri, in varias abierunt partes, nec de ipsorum principiorum natura idem sentiebant omnes. (confr. Morb. Polyhist. T. II L. II, p. 11. §. 3.) Alii enim Systema Dualisticum, quo duo principia absoluta, infinita, a se mutuo essentialiter diversa, sibi invicem opposita & contraria, nulloque nexu inter se juncta, quorum unum ab altero nulla ratione dependeret, ponuntur, se ipsum intrinseca absurditate evertere, variisque premi difficultatibus, intelligentes; utrumque principium in unum

totum concluderunt, & necessario atque essentiali inter se nexu conjunxerunt. Id vero duplici potissimum ratione factum est. Quidam enim Deum ita materia, in uno toto, quod Chaos nonnulli dixerunt, copularunt, ut hac perpetua emanatione, ex ejus sinu progredere, atque ita profluens ab inhabitante divina anima formaretur. Quod systema emanativum, Barbaris plerisque, maxime vero Orientalibus & Aegyptiis, familiare fuit, ipsiusque Græciæ philosophis seculi fabularis, Orphicis ceterisque placuit. Hujus vero postmodum emanationis modum explicantes philosophi, formationem materiae a Deo prodeuntis, vel omnimode subjecerunt necessitati, fieri illam, legibus motus æternæ emanationis convenienter, contendentes; vel in ipsa fingenda & efformanda, non omnem prorsus libertati divinæ denegarunt locum. Aegyptii, modo sibi fere proprio & peculiari, ex spiritus rationalis & intelligentis, sed materiam a se emanantem inhabitantis, desiderio ad connubium cum materia aquosa & limosa, creationis initium ducunt, & sic omnia genita esse garrunt & fabulantur. Phœnices forte secuti, qui similibus indulgentes deliriis, rationalitatem causæ efficienti, materiae incluse, quoque denegarunt, cunctaque fato & bruta necessitate generari nugantur. Horum vero opinionem, de principio activo materiae incluso, philosophico ornatam habitu, & rejectis quibusdam ineptiis, reduxit Zeno, de quo mox. Quidam, sobrie magis, vel potius callidius, philosophaturi, non emanasse quidem materiam ex essentia divina, quod absurdum & contradictorium esse videbant, verbis expresse asserere audebant; Deum tamen, seu causam efficientem & activam, ita arte & intimo nature vinculo, materiae inertis & passivæ connectebant, ut anima corpori unitur, ovoque vitellus inclusus est; bancque

vim formatricem materia adeo intrinsecam & necessariam esse
 docebant, ut una esset alterius pars naturalis & necessaria.
 Cum ex mente horum Deus anima Chaos informans sit, non
 multum ab emanativo systemate discedunt, unde ab hoc, quod
 distinctionis gratia, Monadicum appellare lubet, illud non
 plane sejungendum, maxime si spirituum vel animarum originem
 spectes, neque tamen prorsus confundendum esse patet. Hac
 quidem ratione systemata sua physiologica, prater Jonicos, Tha-
 letem scilicet, Anaximandrum & Anaximenem, Pythagorei,
 Eleatici & Heraclitus, condiderunt. Cumque Zenoni Stoico-
 rum principi, a Dualistico Academicorum principio, recedere
 constitutum esset, neque in emanativo veritatem inveniret, ad
 tertium hoc dilapsus est; quo duo quidem absurda evitavit, ut
 neque duo diversa, a se mutuo non dependentia admitteret prin-
 cipia, neque materiam natura Deo, causa activa, e diametro
 adversam, ex ejus sinu educeret; revera tamen, cum non aliud
 haberet, unde utriusque accerferet originem, utrumque inter
 se confundit, ea ita connectendo, ut unum natura essent. Ad
 Stoicorum quoque mentem quam proxime accedunt gentes oc-
 cidentales & septentrionales. (confr. Jac. Thomaf. Exust. Mund.
 Stoic. Diff. II. Schub. Hist. phil. pars I. speciat. sing. cap. de
 sing. sectis. Imprimis vero Jac. Brucker. Hist. crit. phil. edit.
 Lat. T. I. passim, maxime parte II. L. II. C. IX.) Cum vero
 gentes hae, materia a Deo emanationem, vel cum eo necessarium
 & essentialem nexum, fingentes, mundum pessime cum Deo
 confundant, certoque respectu eum pro Deo modificato habeant;
 neque defuerunt viri, de re literaria optime meriti, qui colla-
 tionem inter Spinozismum, horumque, maxime vero Cabbali-
 starum, sua ex Aegyptiis & orientalibus mutuantium, atque

Eleaticorum doctrinam instituerunt; aliquam tamen in iis diversitatem animadvertentes. (vid. Bruck. l. c. Cap. XI. Stapff. l. c. (c) Inter eos autem, qui postmodum intelligentes systematis & emanativi & monadici absurditatem, Deum quidem a materia sollicitè distinxerunt, in alterum vero prolapsi extremum systema Dualisticum, cujus supra mentionem fecimus, adoptarunt, præ ceteris eminent Anaxagoras & Plato, atque hunc secuti veteres Academici. Quorum ille, Anaxagoras nimirum, ὁμοιομερείας statuens, partes aternas, numero infinitas, similes & dissimiles, a monadibus Epicureorum probe distinguendas, admisit, atque ex his, vi divina ad motum concitatis, homogeneis vel similaribus concurrentibus, & in mutuum quasi amplexum ruentibus, orta fuisse omnia; v. c. ex particulis ossis ossa, carnis carnes, &c. docet. Plato vero ex materia præexistente aterna, sine ordine jactata, mediantibus ideis omnia formasse atque fabricasse Deum tradit. Unde & materiam semper ut subiectum, ex quo mundi architectus, ad eam a se diversam & separatam accedens, omnia fecit, considerare solet. Atque sic uterque Deum & materiam aperte a se invicem distinguit. (Plat. in Timeo, Bruck. l. c. Cap. I. & VI. Morb. Polyh. t. II. l. II. p. II. (. XI. §. 4.) (d) Placita veterum, de rerum origine rejiciens, princeps philosophorum Græcicorum Aristoteles principum neque unum esse, ut Pythagoreis, Eleaticis, ceterisque visum, docet; nec in specie sensibile quoddam elementum, sive aquam sive aërem, ut triumvir in schola Jonica ante Anaxagoram videbatur; nec monades, ut Leucippo, Democrito & Epicuro placuit, ad structuram universi exposcit; neque duo admitti posse ejus principia, quod voluerunt Anaxagoras & Plato, affirmat. (Phys. l. I. cap. III. IV. confr. Scip. Aquilian. de plac. phil. ante Arist.) Mundum vero, nec generari

rari, nec corrumpi, nec initium, nec finem, habere docet; sed eundem Deo coeternum ponendum esse, ut subiectum primi motoris, ex motu ostendere satagit; Deumque sic causam mundi non formantem, sed tantum adstantem, vel moventem, agnoscit. *confr. Morhof. Pol. l. c. §. 3. 4.* (e) Singulari vero artificio omnem Dei ideam ex mundo penitus excludunt Epicurei, fortuito atomorum concursu mundum coaluisse ineptientes. Atque hæc generalia sunt antiquiorum principia, quæ postmodum aliæ gentes, ad repurgatas usque, Christianorum philosophorum opera, literas, retinuerunt, vel plures conciliantes sectas, paulo aliter ecclesiasticorum more explicaverunt. Plura de his qui desiderat, adeat, præter Auctores citatos reliquos, imprimis Bruckerum T. I. qui ex antiquissimis monumentis singula copiose & eleganter evoluit.

§. III.

Qui jam, quæ §. præcedente breviter dicta sunt, attentius consideraverit, facile animadvertet, duplicem, in genere, mundo æternitatem asseruisse veteres. Vel enim & quoad materiam & formam, hoc est: totalem & omnimodam; vel qua materiam duntaxat, adeoque partialem tantum, illi existendi necessitatem competere, existimarunt. Hinc duæ etiam exortæ sunt de interitu mundi opiniones palmaria & quasi principales. Aliis formalem quidem ejus interitum concedentibus, materia in infinitum perennante; aliis vero omnimodam ejus incorruptibilitatem defendentibus, omnisque interitus expertem illum statuentibus. Cum vero, quicunque demum fuerint, omnes falso suo decepti principio, æternitatem unanimi consensu materiae vindicaverint, mirum non est, quod eandem quoque ab exitio liberarit uni-

versa fere antiquitas, cujus tamen de ipsa mundi forma sive structura variæ prostant sententiarum diversitates.

§. IV.

Universaliter ab omni, & qua materiam & qua formam sive structuram, interitu, mundum hunc adspicibilem eximunt, qui illum ut Deum modificatum venerati fuerunt, vel absolutam & intrinsecam existendi necessitatem ipsi tribuerunt. Principem ergo, inter rigidissimos incorruptibilitatis mundi defensores, locum occupat *Spinoza* cum sequacibus Atheis § 2. not. His proxime jungendus est *Aristoteles*, qui Pythagoreum quendam, *Ocellum Lucanum*, secutus, clarius quidem, quam ut ab *Alberto*, *Thoma Aquinate*, *Argentina*, ceterisque suis affectis, excusari possit, mundum æternum, sine initio & sine finire docet, ridiculumque putat, ob exiguas brevesque mutationes & vastationes, quas mundi partibus accidere posse non inficiatur, totius destructionem asserere, indeque universi cladem colligere. Quin & magnopere gloriatur, se primum æternitatem mundi, quodque & origine & fine careat, docuisse; omnibus ante eum, certam mundo generationem vel efformationem adscribentibus (a). Pugnatur quoque pro *Aristotele*, teste *Gerhardo*, in libris physicis *Averroës* (b). Et quamvis valde ambigua sit, de Deo & mundo, doctrina *Ciceronis*, qui Græcorum sectis, maxime Academicis & Stoicis, adhærens, atque subinde ab aliis, quæ ceteris videbantur probabiliora, desumens, Eclecticum philosophandi genus sectatus, proprium systema non condidit; in hoc tamen Aristotelis sententiam

tiam

tiam sequi videtur, quod mundum nec ortum esse, nec finem habiturum doceat, licet partes ejus aliquas, per exustiones & eluviones, destrui non neget (c).

(a) MORH. *Pol. T. II, L. II, p. 11, Cap. XI, §. 33, 77.* BRUCK. *Hist. Crit. Phil. T. II, p. 11, L. II, c. VII.* ARIST. *de cælo, Cap. 10, 12. Meteor. L. I, c. XIV. Physic. L. III, c. II.* & alibi confr. TAURELL, *de eternitate, p. 11.* JAC. THOM. *Exust. rerum mund. Stoic. Dissert. IV.* CUDWORT, *in Syst. int. c. IV, §. 14.* (b) GERH. *loc. Theolog. T. IX, de consum. Sec. Cap. II, §. 15.* (c) *de natur. Deor. L. II.*

§. V.

Licet non eodem, quo Aristoteles, modo æternitatem mundi defendat *Secta Eleatica*, §. 2. hujusque præprimis conditor *Xenophanes*, Pythagoræ discipulus, a præceptis magistri aliquando discedens, qui assumpto systemate Monadico, materiam Deo indissolubili nexu adjungens, ipsum cum mundo, ut hujus animam, pessime confundit; his tamen absolutam mundi incorruptibilitatem defendentibus annumerandus est. Æternum enim esse quidquid est, adeoque nunquam non fuisse, vel interituum esse, asserit, omnemque non modo generationem, sed & veram & realem alterationem tollit, simulque æternum illud, quod sine initio & fine est, unum & infinitum esse docet, quod & Dei & universi nomine compellat (a). *Plinius* itidem mundum esse æternum, neque genitum, neque interituum unquam, absurde pronunciat. Nescius quid de Deo statuatur; utut enim, Stoicorum more, de Deo loquatur, cum tamen omnem neget providentiam, Stoicisque non modo Epicurea, sed

& quadrata sæpius rotundis misceat & adaptet, scepticumque frequentissime agat, hoc loco notari meretur (b). Maxime cum, monente *Mosheimio* (c), nec *Xenophanes* certi quid decreverit, sed cuncta opinione, sæpius fallente, constare dixerit. Idemque cum *Plinio* iisdemque fere verbis loquitur *Seneca* (d).

(a) *ARIST. Phys. L. I. c. II. III. IV. Met. L. I. c. V. CICER. De Acad. L. II. c. 37. PLUT. de plac. phil. L. II. c. IV. CLEM. Alex. Strom. L. V. VII. LAËRT. L. IX.* (b) *BRUCK. l. c. T. II. period. II. p. 1. L. I. C. II. sec. VIII. pag. 613.* (c) *ad CUDWOR. Syst. Int. C. IV. §. 20.* (d) *BRUCK. loc. cit.*

§. VI.

Quin & huc revocandi sunt systematis emanativi defensores illi, qui mundum, qua materiam & formam, ab æterno, necessaria emanationis lege, ita a Deo promanare, ut perpetuo, sine omni exitio & fine, fluat & a Deo procedat, somniant. Inter quos primo nominandi erunt *Platonici recentiores*, qui studio conciliandi æternitatem mundi Aristotelicam cum Platonicam, ducti, emanationis hypothesin, dimisso *Platonis Dualistico*, in *syncretisticum* suum systema receperunt (a). Pariterque huc spectat *secta Eclectica*, a *Platonicis* quoque apud *Romanos* adamata, cujus principes, *Aristotelem* ceterosque *Philosophos*, in concordiam cum *Platone* reducturi, docebant, Deum seu mentem priorem quidem esse mundo, non vero tempore, sed ordine tantum naturæ, quemadmodum causa, in causalitate spectata, prior est causato. Universum non posse non esse, nec unquam interire hi expresse asserunt, cum scilicet

licet omnia complectatur, adeoque nihil supersit, in quod possit commutari, nec extrinsecus quidquam, quod illud mutaret, aut disperderet, in ipsum incidere possit (b). Ex his vero imprimis nominandi sunt *Porphyrius* & *Proclus*. Quorum ille, teste *Augustino* (c), Christianos mundum perituum docentes, stultitiæ arguit; hic vero mundum incorruptibilem esse diserte asserit (d).

(a) BRUCK. loc. cit. T. I. p. 1 L. II. cap. III. p. 11. L. II. c. VII. Cfr. CUDW. loc. cit. cap. IV. (b) Enn. P. II. L. I. c. I. BRUCK. T. II. p. 420, 423. (c) de Civ. Dei, L. XX. c. XXIV. (d) in Epicher.

§. VII.

De hac mundi incorruptibilitate ambigue loquuntur *Galenus*, *Manlius* alique (a). Et adeo quidem familiaris, de ejus æternitate, veteribus fuit opinio, ut initium & finem eidem tribuere, testimonium perhibente *Tertulliano*, formidaverint plerique (b). Inter hos mundi corruptionem oppugnantes recensent denique Theologi i Empaectas & illusores, de quibus passim Scriptura Sacra (c). 2. Hæreticos, *Cerintum* & *Felicem Manicheum*, cujus erat regula: omne quod Deus fecit, æternum & immutabile esse, uti est ipse; prætereaque *Æternales*, *Albanenses* & *Anonymos*, de quibus mentionem facit *Augustinus* (d).

(a) GERH. loc. Theol. T. IX, de cons. sec. Cap. II. §. 15. (b) Cap. I. §. 13. adv. Marc. (c) 2. Petr. 3: v. 3. 4. 2. Tim. 3: 1. Jud. v. 18. Es. 56: 12, &c. (d) de Hæres. Cap. LXXII. cfr. Gerh. loc. cit. QUENSTEDT. T. ult. Cap. XX. de cons. Secul. Sect. II. Quest. I.

§. VIII.

Hi jam fuere, qui omnis interitus & abolitionis mundum hunc adspectabilem expertem fecerunt. Qui vero talem absolutam & omnimodam ipsius, qua materiam & formam, incorruptibilitatem, seu totalem & constantem perennationem, diversis stantes principiis, non agnoverunt, hi formalem illius destructionem, vel mutationes accidentales admiserunt; circa quas tamen in varias, pro principiorum suorum diversitate, abierunt partes. Horum vero paucis exhibebimus placita.

§. IX.

Quemadmodum antiquissimum illud systema emanativum, quo ex essentia divina profluere omnia, asseritur, per universum fere orbem, antiquo philosophiæ ævo invaluit, sic &, quæ illius ultima simulque prima facies est, & ex eo necessaria quasi consequentia fluere videbatur, *παλιγγενεσία*, seu periodica rerum omnium restitutio, antiquioribus arrisit. Docebant nimirum, quæ existunt omnia ad primitivum suum igneum & æthereum fontem, seu oceanum, motu periodico redire, & in eum quasi absorpta reduci; sicque, continuo motu & agitatione, naturam omnium, per varias successiones, restitui, & principio suo spirituali paulatim reddi propriorem (*). Donec tandem, infinito lucis oceano, immerfis singulis, lux omnia repleat, & summam felicitatem undique spargat. Quo magis enim emanans a fonte suo secedit, eo putabant deterioris atque impurioris naturæ illud fieri, eoque crassiori stipari congerie; ut lumen, a splendidissimo igne in longin-

ginquum projectum, infirmius fit, & tenebris in progressu magis semper miscetur, donec vix luminis aliqua remaneant vestigia. Hinc materiam ut nudam privationem *Cabbalistæ*, & ut umbram *Saraceni*, concipiunt (b). Alii vero, post absolutam certam & determinatam annorum seriem, omnia interitura, & deinde mundum renovatum iri, natura universi in singulis terræ climatibus bina uniuscujusque speciei paria producente; atque sic seculum seculo continuo succedere, nec aliam dari destructionem, cum *Arabibus* vel *Zabiis*, putarunt (c). Vel denique duplicem rerum omnium exitum, per aquam & ignem, eumque periodicum, cum *Ægyptiis* statuebant (d). Ex traditione forte hæc opinio ortum duxit, quæ multas gentes, cataclysmos & ecpyroses sibi mutuo succedentes plures effingentes, pervagata est; omnia sic post certas temporum vices in pristinum statum restitui existimantes.

(a) *Quam sententiam Orientalibus, maxime Chaldæis, Persis & Indis ex antiquissimis monumentis tribuit BRUCK. loc. cit. T. I. p. 1. L. II. c. II. III. IV. (b) T. II. p. II. p. 1. L. II. c. III. sec. II. T. III. p. II. p. 1. L. III. c. II. (c) BRUCK, ex Scharestano T. I, p. 1. L. II. c. V. (d) Idem BRUCK, ex Laërtio, Platone, Origene, loc. cit. cap. VII.*

S. X.

Emanativis, ut in ceteris, sic in his quoque, maxime affines sunt, qui Deum materiæ alligant, quos *Monistas*, distinctionis causa, supra diximus. Scholæ Jonicæ triumviri ante *Anaxagoram* §. 2. not. uti vel aquam, vel aërem, Deo junxerunt, sic in eadem principia

cipia omnia, resolvi, mundosque corruptos in infinitum redire, sed restitutos, putabant (a). *Pythagoras* ex materia Deo animata, unitatemque cum ipso efficiente, adeoque Monade, duplex principium, activum & passivum involvente, ortum rerum deducit; cujus tamen alteram partem, a monade generaliter sic dicta genitam, recedente scilicet a singularitate sua ipsa unitate, & in dualitatis habitum migrante, materiam immensam & indeterminatam, seu alterum principium passivum & iners, dyadis nomine adpellat, relicta alteri parti spiritali unitatis seu monadis stricte sic dictae compellatione. Ex monade ista, per materiae formalem agitationem & animationem, orta fuisse omnia hic docet, & secundum numerum intellectualem in Deo subsistentem, ordine & serie indissolubili connumerata stare. Sic & cuncta in monadem istam resolvi, & in statum chaoticum redire, atque ex illa novos successively mundos oriri statuebat. Unde ipsi quoque *Pythagorici* duplicem mundi exitum, & quidem periodicum, unum igne cœlitus defluente, alterum aqua lunari, per revolutionem aëris effusa, asseruerunt. Quæ dogmata apud *Barbaros* quoque fuere recepta, quos præceptores habuit *Pythagoras* (b).

(a) Ex *Plutarch. Theodoret. &c. BRUCK. loc. cit. T. I. p. II. l. II. c. I.* (b) ex *Porphyr. Plutar. Chalcidio, BRUCK. l. c. cap. X.*

§ XI.

Qui a *Pythagoricis* sua acceperunt *Stoici*, ab his non multum recedunt. Hi itidem impie materiae Divini.

vinitatem, seu ignem purissimum artificialem & æthereum, ipsam animantem, moventem & agitantem, ad instar animæ corpori jungentes; eadem fere ratione, qua Pythagorici chaos existisse æternum somniant, principium activum & passivum comprehendens. Chaos illud ordinatum, & in formam adspectabilem, actione ætherei principii Divini emergens, mundum dicebant, quem totum, singulaque existentia, partes & membra ejus, principio activo Deo omnia penetrante, animata adpellabant. Hinc mundum, si pro toto sumatur, Deum & materiam complectente, æternum esse; si vero per eum intelligatur, quod hunc jam habeat ordinem & ordinatum, perire eundem, uti ortum accepit, docent; cum corrumpi & in deterius mutari possint singulæ partes, adeoque totum inundationi & siccitati maneat obnoxium. Lege vero & statis successionebus, secundum ipsos, non secus ac hiems & æstas, mundi inundatio & conflagratio evenient. Illa, quidquid habitatur, obducat, necabitque omne animal orbe submerso. De hoc mundi diluvio prolixè *Seneca* (a), qui novam ex hac inundatione terram promittit, ubi novus dabitur homo, inscius scelerum, & melioribus auspiciis natus. Qui adeo placet *Lipso* (b), ut e sacris litteris & eventum & causam eum hausisse putet. Nec a veritate penitus abluere videtur, cum credibile sit, veterem de diluvio traditionem, quæ omnes fere gentes pervagata est, cuiusque notitiam habuerunt *Phœnices*, ad sectæ conditorem *Zenonem* §. 2. pervenisse. Differt tamen diluvium hoc Stoicum a sacro, cum necessaria fati lege,

feu cauffarum & eventuum connexione, illud eveniat, atque per æternas periodos repeti debeat, adeoque ab hoc longiffime diffet. Ignis vero combustione, quæ altera est mundi deletio, totus conflagrabit. Accendetur mundus, fcilicet potentia illius ignis, qui in omnibus rebus latitat, quique longis temporum intervallis humorem confumens omnem, omnia in fuam naturam convertet; atque fic cuncta conflagrabunt in unum, & in priftinum chaos reducentur. Quod certis, & mundi fato ac legibus deftinatis periodis annorum fiet. Cum enim natura totius ita connectatur, ut a principio ad finem cuncta decurrant, & ab eo, in circulo, ad initia fua iterum recurrant, atque in orbem vertantur, ftatuendus eft ejusmodi rerum finis, quo ignis ille artifex mundi & naturalis, qui ex chao quali erumpens, rebus omnibus & formam dedit, & eas permeando & vificando, fuffentavit, confumto tandem nutrimento, ficcitatem primum inducet, & mox conflagrationem, quo omnia in priftinum reducentur chaos, ex quo, poft aliquam quietem, ignis ille divinus novum iterum mundum, primæva integri mundi innocentis facie, eodemque ornatu priftino, producit. Cum vero ex natura materiæ, quam totam corrigere nequit ignis, prior redeat corruptio, & emendatione iterum opus habeat natura degenerans, redibit conflagratio, & æternis atque necessariis periodorum orbibus, orientur & conflagrabunt mundi (c). Et eodem fere modo, qui his præluſit quoque *Heraclitus*, omnia ex igne nafci, inque eum refolvi & poſt certas periodos recidere docet (d).

- (a) *2q. nat. L. III. C. XXIX.* (b) *Diff. XXI. p. 247.*
 (c) *Ex Platone, Cicerone, Seneca &c. maximeque Thomasio,*
BRUCK. loc. cit. T. I. P. II. L. II. C. IX. (d) *Idem, loc. cit. C. XII.*
 § XII.

Qui dualisticum admiserunt principium, docentes, Deum cuncta pervadentem & permeantem, sine omni tamen commixtione & confusione, omnia exornare, ut ab eo mundus prorsus sit secernendus; cum Platone durare quidem mundum in æternum asserunt, cum consentaneum sit, Deum summe bonum, perfectissima, in quantum id materia permiserit, voluisse facere, unde & morbi & senectæ expertem eum fecerunt. Certas tamen agnoverunt periodos, intra quas ad pristinum locum mundus, interno animæ, a Deo materiæ inditæ, motu redeat. Et hic annus ille magnus est, de cujus tempore & annorum numero valde discrepant Platonici. Quorum somnia eleganter enarrat *Jac. Thomas. (a)*. Hi summas tantum vicissitudines sine intercedente interitu statuunt. Nec a Platone longe abesse videtur *Columella*, qui eadem fere ratione mentem exprimens (b), *fas non est, inquit, existimare, rerum naturam, quam primus ille mundi generator, perpetua fecunditate donavit, quasi quodam morbo sterilitate affectam, neque prudentis est credere tellurem, quæ divinam & æternam juventam sortita, communis omnium parens dicta sit, quia & cuncta peperit, semperque & deinceps paritura sit, velut hominem senuisse.*

- (a) *De exust. Mund. Stoic. diff. V.* (b) *Proœmium de re rustic.*

§. XIII.

In his vero, uti in ceteris, secessionem a reliquis faciunt *Epicurei*, qui mundum neque a Deo penetrari & animari, neque æternum esse; sed finem habiturum, & atomorum dissolutione interiturum, quemadmodum eorum concursu ortus est, perhibuerunt. Ino, totum omnimode ita dissolvi, ut in puncto quolibet, nil præter atomos spatiumque desertum supersit (a), tradunt. Eandem inflant ribiam, qui hos sequuntur, *Athei* (b)

(a) *Ex Ciceron. Plut. & Lucret. BRUCK. T. I. P. II. L. II. C. XIII.* (b) *Stapff. Theol. Pol. T. II. C. VI.*

§ XIV.

Philosophia vero Græcanicæ gentis, sapientiæ artiumque studio per universum fere orbem celebratissimæ, cum intra terminos patriæ, magnorum ingeniorum feracissimæ, contineri non poterat, ad externos perlata populos, horum tanta vi occupavit animos, ut vel in veterum præceptis expoliendis, illorum prementes vestigia, potius, quam novis excogitandis, scientiisque vel emendandis vel amplificandis, gloriam laudemque posuerint; vel sectas veteres illas conciliaturi, syncretistica tantum, de melioribus parum solliciti, condiderint systemata. Hinc, migrantibus ex Græcia litteris ad Romanos ceterasque gentes, eadem fere apud ipsas mansit rei literariæ facies, idemque status, usque ad renovatas per Christianos philosophos, & a tenebris atque squalore revocatas scientias. A deoque etiam eodem fere modo, quo sectarum suarum principes, de interitu mundi statuebant recentiores hi, principia antiquorum

quiorum secuti. Quod uti ex dictis jam quodammodo constat, sic idem quoque de omnibus in univēsum ejus ævi gentibus generaliter affirmare non dubitamus. Sic *Judæi* cum *Cabbalisticis*, veterum & recentiorum *Orientalium* atque *Ægyptiorum* systema emanationis secuti, aut illud in syncretismum cum *Pythagoricis* & *Stoicis* vel *Platonicis* principiis trahentes, mundum quoad substantiam interire negabant, reditum ejus in statum meliorem asserentes (a). Similiter quoque mundum mutari tantum, non vero in privationem seu nihilum recidere, docebant *Saraceni*, duplicem fingentes mundum, divinum & sensibilem, quorum hic illum, ad instar umbræ, ita sequeretur, ut ejus ablationem & interitum supponere absurdum sit (b).

(a) *PHILO* in libro *περί ἀφραστίας κόσμου*, & *BRUCK*. T. II. per. I. P. I. L. II. Cap. 1. 2. 3. passim. impr. p. 909. 982. (b) *Thophail*. in *Autod.* p. 174. sfr. *BRUCK*. T. III. p. 197.

§. XV.

Quin & eousque invaluerunt dogmata veterum illorum philosophorum, si quæ alia, utique vel maxime ea, quæ de interitu mundi tradiderunt, ut ex revelatione meliora edocti quoque aliqui, illa adoptarint, utpote ii, qui cum *Origene*, pro successivo mundorum ortu atque interitu, pugnarunt. Reliqui patrum, pro formali tantum univēsi exitio, vel mutatione quadam accidentali, militarunt, *Scripturæ Sacræ* effata, quæ de seculi consummatione prædicunt, in suum sensum trahentes & detorquentes. Patrum in illas partes declinantium longum necit catalogum *Gerhardus* (a). Succedunt

cedunt his *Scholastici*, asserentes mundum non qua substantiam sed qualitates tantum periturum, vel absque intercedente interitu qua speciem formamque renovatum iri (b). Hos sequuntur multi quoque *Calvinianorum*, & nonnulli *Pontificiorum* (c), mundi similiter restaurationem non annihilationem sperantes. Hi vero omnes, quamvis conclusionem suam fecerint, & ad consensum veterum philosophorum soleant identidem provocare, ipsa tamen impia eorum principia sua non fecerunt; sed ex aliis fontibus & mediis terminis suam de restitutione mundi opinionem deduxerunt, ceu mox videbimus.

(a) *Loc. Theol. T. IX. art. de cons. sec. Cap. V. §. 37. confr. BRUCK. L. C. T. III. per. II. P. II. L. I. C. III.* (b) *Quenst. Syst. Theol. de cons. sec. Quæst. II.* (c) *Quenst. l. c.*

§. XVI.

Qui vero qua substantiam non interiturum hunc mundum, sed innovandum, & in statum præstantiorem transferendum esse contendunt, de formali ejus mutatione non idem eodemque modo sentiunt omnes. Alii enim, dum negant interitum substantialem, quandam tamen mundi, totali tantum annihilatione remota, admittunt transformationem, qua, manentibus elementis, essentia mundi ipsa mutetur, & splendidiorum induat faciem. Statuunt enim, ex cœli & terræ, per universale incendium consumtorum, cineribus novum cœlum ac novum terram, divina virtute in materiam indispositam agente, per modum creationis secundariæ, subito & miraculose emeritura; eodem fere modo, quo corpus humanum ex terræ pulvere resur-

get,

get, præstantius, subtilius, multumque priori corruptibili nobilius. Alii nec essentiali ejusmodi locum concedunt mutationi seu transformationi, qualitatundantaxat alterationem quandam vel accidentalem mutationem futuram aurumantes; quemadmodum aureum poculum contusum atque corruptum per ignem ab aurifabro restauratur. Alii relativam tantum urgent variationem, quoad usus scilicet vitæ animalis præsentis hujus, existimantes præter illum respectum nihil omnino in mundo abolendum esse. Has vero, quas ad tres revocavimus classes, mutationis species, ab ipso modo derivatas, vel ad omnes res mundanas, vel quasdam tantum extendunt, novum sic ex ipsis objectis defuentes discrimen. Quidam enim purant, omnes in universon creaturas per ignem renovandas, & a fordibus corruptionis, ipsis adhærentibus, expurgandas. Quidam vero, quasdam tantummodo instaurandas & renovandas, quasdam penitus abolendas, quasdam & renovationis & abolitionis expertes, in pristino suo statu permansuras arbitrantur. Hinc quod elementa in specie concernit, alii ignem imprimis & aquam, quorum nullus in novo cælo novaque terra futurus sit usus, exitio dant totali. Alii in genere singula elementa, ex quibus expurgatis novus orietur mundus, ab interitu eximunt. Alii ab eodem quoque excipiunt non solum in specie elementum ignis, sed & cælos superiores & stellatos, superioremque aëris regionem, & hos ita quidem, ut affirmant, ignem ultimi incendii eos ne quidem attingere, adeoque nullam ipsos subire

subire mutationem, nisi relativam, qua ex motu in quietem transeant perpetuam; putantes cum Scholasticis, eo tantum pertingere ignem, quo surrexerat aqua diluvii; vel accidentalem eorum quoque mutationem & innovationem seu exornationem admittunt, splendoris & lucis argumentum ipsis accessurum arbitrati. De terra vero statuunt alii, eandem ornatu specierum in tribus naturæ regnis destitutam fore, omni eam quo superbit vestitu exuentes. Alii vero locum illis quoque concedunt, terram odoriferis floribus, liliis, rosis, violisque immarcescibilibus adinstar Paradisi, perpetuo decoratam, gratumque beatis spectaculum exhibentem, concipientes. Unde variæ de cœlo novo terraque nova opiniones, conjecturæ & fictiones, quas heic cumulare locus & instituti ratio vetat. Neque pluribus jam commemorare vacat successivas, quas tradit *Burnet*, spirituum in altera vita transmigrations per varios planetas, in quorum perlustratione futuri seculi felicitatem quæsierunt nonnulli, ex summa rerum varietate ista summam, cum maximo cognitionis augmento, delectationem expectantes. Præterea etiam ingeniosas de formatione & vicissitudinibus mundi hypothesen, quas, post *Cosmogoniam* & *Geogoniam Cartesii*, *Leibnitii* atque *Burneti*, excogitavit, variisque maximis, quæ tamen ultimam seculi consummationem proprie non concernunt, mundi vicissitudinibus explicandis adaptavit principia *Newtoni* secutus *Civil. Whistonus*.

Conf. Gerb. & Quenst. loc. cit.

§. XVII.

Argumenta vero, quibus suæ sententiæ robur conciliare student, recenset *Gerhardus* (a). Desumunt illa, 1:o ex quibusdam scripturæ effatis. 2:o ex Dei immutabilitate, qui mundum, ut ipsum destrueret, conde-
re non potuit. 3:o rerum ipsarum vel elementorum imprimis firmitate. 4:o a cœli, habitaculi Divini, nobilitate. 5:o a fine & usu rerum, qui semper idem manet. 6:o a necessitate loci sanctis reliquendi. 7:o ex absurditate destructionis elementorum, ex quibus novus creari potest mundus, Es. LVI: 17. 8:o ex collatione diluvii, quo mundi non peribat substantia, cum ipsius conflagratione ultima. 9:o ex rationis paritate; quam ob rem enini renovabitur homo, ob eandem causam restaurabuntur cetera. 10:o ex æquitate justitiæ; creaturæ enim homini præstiterunt obsequium & ministerium in hac vita, æquum ergo est, ut restitutionis & renovationis percipiant præmium.

(a) *Loc. cit. Cap. 5. §. 49-63.*

§. XVIII.

Nec absimili ratione non pauci Theologorum & Philosophorum nostratium, Lutheri forte auctoritatem secuti (a), qualitatam tantum immutatione mundum transiurum statuunt (b) Imprimis vero nostro ævo *Canzius* & *Carpovius* æternam mundi durationem omni studio defendunt, mutationem, non vero interitum totalem, admittentes. Quam accidentalem tantummodo futuram, præ ceteris, magno argumentorum adparatu adstruere nuper conatus est *Adamus Frider. Winclerus*,

in tractatu haud ita pridem evulgato, sub titulo: *Mathematischer Beweis, daß die sichtbare Welt am jüngsten Tage nicht untergeben, sondern nur eine zufällige Verwandlung leiden werde*, 1749. Horum vero argumenta sub examen revocare nobis constitutum est.

(a) in *Postill. Dom. IV. post Trin.* (b) *Quaest. loc. cit.*

CAPUT POSTERIUS, DOGMATICUM.

§. XIX.

An tequam vero longius progredimur, accuratis definitionibus determinandæ sunt, in antecessum, vocabulorum notiones, quorum ambiguitas non minimum lectoribus in hac doctrina negotium, in ipso mox limine, facessere solet. Quemadmodum *oriri* in genere dicimus, quod existentiam accipit, quam antea non habuit; sic *interire* illud generaliter affirmamus, quod existentiam, quam ante habuit, amittit. *Stricte vero sive totaliter interire* dicitur, quod ita existentia privatur, ut nihil ejus amplius actu supersit. Totalis ejusmodi interitus, seu privatio existentiae omnimoda, proprie *annihilatio* audit. In sensu autem latiori sumpto interitus vocabulo, interire vel perire quoque res dicitur, qua partem vel accidens quodcumque, quando vel illam vel hoc quomodocumque amittit. Interitus hujus modi partialis vel accidentalis æquipollet mutationi, ut in sensu hoc latiori interire idem fere valeat, ac mutari.

Unde

Unde & promiscue adhiberi utrumque vocabulum, ab iis, qui hanc, de interitu mundi, pertractant doctrinam sæpius deprehendes. *Mutabile* vero id dicitur, quod aliter atque aliter esse potest. Hinc actu *mutatur*, quidquid idem quod erat, vel eodem quo fuerat modo esse definit; adeoque quod aliter esse quacunque ratione incipit.

§. XX.

Omnis mutatio vel ipsam afficit essentiam, vel tantummodo accidentia. Aut enim res idem prorsus quod erat esse definit; adeoque quoad essentiam idem non esse, seu aliter esse, incipit; aut solummodo eodem quo ante fuerat modo esse definit, & sic quoad prædicata sua inconstantia & variabilia, h. e. accidentia, idem non esse seu aliter esse incipit. Illa *essentialis*, hæc *accidentalis* dicitur mutatio. Ceterum, cum essentia entis ontologica sive Metaphysica, quæ est conceptus rei primus constitutivus, cetera, quæ ipsi insunt, vel inesse possunt, determinans, in se necessaria, æterna & immutabilis sit; facile quisque, etiam me non monente, videt, de essentiæ hoc modo acceptæ mutatione nobis heic sermonem non esse. Loquimur de essentiæ illius existentia, quæ essentia quoque sensu physico dici sivevit. Hanc vero mutari, uniusque essentiæ existentiam in locum alterius existentia succedere posse; adeoque ex essentia physica specifica una enasci aliquando aliam, exempla cuiusvis obvia docent. Sic semen, essentia specifica feminis, si existentiam spectes, amissa, fit arbor, huiusque essentiam induit. Essentialiter quoque eodem

modo mutari dicitur triticum, quando fit farina, ex farina panis, ex pane chylus, hinc porro sanguis, & sic ulterius. Dicit ergo potest mutatio essentialis, qua essentia entis physica vel essentiae ipsius existentia, in alterius essentiae existentiam transfertur. Sic e. g. corpus humanum post mortem essentialiter mutatum dicitur, quatenus exuta hac essentia specifica corruptibili, aliam acquirit essentiam physicam incorruptibilem & omni modo nobiliorem; & sic idem, qua essentiam quod erat, esse desinit. Mutatio vero accidentalis, quae tantum accidentia concernit, salva re, sive manente eadem sub eadem specie, rei contingere potest. E. g. Potest anima contristari, & mox gaudio perfundi; possunt materiae molli variae imprimi figurae, salva manente ipsa essentia. Ex his praeterea liquet, composita tantum, quorum essentia in determinato combinationis modo harum praecise non aliarum partium, solet constitui, sine intercedente interitu totali sive annihilatione essentialiter mutari posse, variato ipso combinationis modo. Simplex vero, cujus constitutum unicum & indivisibile est, quodque sic nullam admittit partium, quarum expers omnino est, dissolutionem, vel connexionis variationem, essentialiter mutari nequit, nisi intereat. Ut adeo mutatio hujus essentialis ejus simul sit annihilatio.

§. XXI.

Cum essentia compositi, quae determinata harum praecise non aliarum partium combinatione absolvitur, aliter mutari nequeat, quam ut partes vel simpliciter

dissolvantur, maneantque post dissolutionem se junctæ; vel ut, facta dissolutione, alia ratione jungantur; patet, mutationem essentialem omnem fieri vel per destructionem vel per transformationem. Est nimirum *destructio* simplex partium dissolutio, qua partes a se invicem se junctæ manent. Hac adeoque essentia compositi una, in plures simplices, sibi mutuo non amplius connexas, resolvitur. Hæc totius est interitus, non vero totalis. *Transformatio* autem est, qua partes, alia a priori diversa ratione, connectuntur; adeoque ipsa tantum structura vel combinationis modus, manentibus partibus, variatur. Hac ergo essentia una in aliam existentem transfertur, unde & striçte mutatio essentialis audit. Quæ vero, de cetero, compositis accidere possunt mutationes, partium vel earundem vel diversarum, aut additione, aut detractio, aut qualicunque demum substitutione, aut denique partium dissolutione & earundem compositione simili, quibus singulis totum vel augetur, vel minuitur, vel alteratur, inter accidentales referendæ sunt omnes. Si vero, mutatis vel sublatis omnibus partibus, compositum, nova aliarum partium combinatione, in aliud mutari concipiatur, mutatio illa, quæ nihil aliud est, quam totalis unius interitus alteriusque productio, rectius interitus essentialis, quam mutatio, dicitur.

§. XXII.

Cum substantia essentialis dicat existentiam, mutatio essentialis substantialis quoque dici solet, quæ ab interitu substantiali probe est distingvenda; hic enim annihi-

lationem, vel totalem rei interitum & qua materiam & formam, infert, illa vero formalem tantum mutationem involvit. Qui ergo qua substantiam interiturum mundum negant, eum qua formam tantum perire vel mutari afferentes, nihil aliud volunt, quam hoc universum non totaliter interiturum, vel annihilatum iri, sed illud tantummodo, residua manente ipsa materia, vel servatis primis elementis, aut essentialem aut accidentalem subiturum mutationem. Scholasticorum enim more distinguentes inter formam substantialem & accidentalem, mutationem, quam interitum quoque subinde adpellant §. 19. formalem adeo late extendunt, ut præter essentialem variationem, accidentalem quoque, quæ in specie alteratio audit, complectatur. Atque his jam, quæ sequentibus intelligendis sufficere possunt, lucem antea dictis, quantum satis est, affundi speramus.

§. XXIII.

Qui substantialem vel totalem mundi interitum negant, qua formam tantummodo illum mutatum iri afferentes §. 22. argumenta veterum §. 17. expolita paululumque exarsciata afferre solent. Rationes vero hunc fere in modum colligunt. Mundus, qui existit adspectabilis hic, uti contingens sic & mutabilis est; teste autem scriptura sacra, actu, insignem quandam & memorabilem, novissimo die, subibit mutationem (confr. impr. Psal. 102: v. 27. 104: v. 30. 1. Cor. 7: v. 31. 2. Pet. 3: v. 10. seqq). Qua quidem vel penitus evanescens totus & qua materiam & formam abolebitur, adeoque in pristinum suum nihil recidet; vel qua formam duntaxat in alium

transibit

transibit statum §. §. 19, 22. Atque, si hoc ponatur, mutatio, quæ ipsi contingit, erit vel essentialis vel accidentalis §. 19. De singulis jam sigillatim.

Confr. WINCKL. tract. citat. de inter. mundi §. §. 3. 4. 44-47.

§. XXIV.

Si jam omnium primo per annihilationem interire concipiatur mundus; cum nihil sine ratione esse possit, interitus ipsius ratio dabitur, aut in ipso mundo, aut extra eum. Atque si hoc; erit illa, vel in ente quocunque finito, aut pluribus finitis extra mundum, vel in ipso Deo infinito, quærenda. Neque enim plures hic cogitari possunt casus.

Confr. WINCKL. loc. cit. §. 8.

§. XXV.

At in ipso mundo non deprehenditur interitus ejus ratio. Quæ enim in universo existunt substantiæ aut simplices sunt, aut compositæ; neque inter has contradictorie oppositas, adeoque medium excludentes, tertium concipi potest. Cum vero, quæ composita sunt, ex simplicibus componantur, & in simplicia demum resolvantur (conf. auct. cit. *Wincklerum* §. §. 9. 12. 30. 34.), ex simplicibus non modo spiritualis & animalis, sed & corporeus seu materialis, adeoque universus mundus, constat. Simplicia vero sua natura indestructibilia sunt, adeoque nec exitium sibi met ipsis aut interitum accelerare possunt, neque se mutuo destruere valent. Non ergo, qui ex iis componitur mundus, sui in se interitus rationem continere potest. Vel, ut argumentum, uti ab auctore laudato traditur, fufius exhibeam

beam: Simplicia, utpote omnis materiae & compositionis expertia in seipsa agere, adeoque propria se existentia privare multo minus possunt (p. Reg. mot.), nec ulla, quae simplex se ipsum destruere queat, concipi potest ratio (§. a. c. 10.). Tantundem quoque abest, ut composita vel corpora naturaliter interire, seu intrinseca & domestica vi in nihilum abire possint, cum prius in suas unitates sive elementa sint resolvenda (§. a. 12.). Cumque praeterea materia, vi activa omni destituta, solum habeat potentiam passivam, adeoque nihil agere possit, se ipsam destruere vel annihilare nullo modo valet (§. a. 16.). Et quotidiana confirmatur experientia, fieri id non posse, neque in instanti, neque successiva partium dissolutione (§. a. 18, 19.). Et si vel maxime se mutuo destruere, per continuam dissolutionem, concipiantur corpora; quamvis sic minuantur & atterantur, prima tamen residua semper manent stamina (§. a. 20.). Non ergo mundus, qui ex simplicibus atque materia (def. §. 15.) compositis corporibus constat (§. a. 9.), sui in se interitus rationem complectitur (§. a. 21.).

§ XXVI.

Neque vero illa extra mundum, aut in ente vel entibus finitis pluribus, aut in ipso Deo infinito inveniuntur. Non illud; quaecunque enim extra mundum existere concipiantur entia, aut simplicia erunt, aut composita necesse est; adeoque eandem cum substantiis mundanis non possunt non habere naturam. Haec vero se mutuo destruere vel annihilare nequeunt §. 25. Ergo nec illa, (confr. §. §. auct. 22 - 28.). Cum vero sic ratio

ratio interitus hujus mundi, neque in entibus extra ipsum finitis, neque in ipso mundo §. 25. involvatur & contineatur; nihil aliud relinquitur, quam ut in ipso Deo illam quæramus, eumque mundum hunc annihilaturum afferamus.

§. XXVII.

Neque autem hoc poni potest, quia i: o si concipiamus Deum, mundum hunc, in quo substantiæ, quæ existunt omnes, sua natura sunt indestructibiles, quæque adeo, accedente conservatione divina, in existendo perseverare possunt, prorsus penitusque annihilaturum; concedendum tamen foret, id, sine ulla omnino ratione, agere non posse ens sapientissimum. Nullæ vero ne fingi quidem possunt rationes, interitum mundi istum svadentes, quibus inductus eum evertere totali exitio vellet Deus omnipotens. Aut enim ponendum erit, mundum, quem ipse produxit, illi in posterum displiciturum; aut nescire eum vel non posse illum in existendo conservare; aut denique nequire illum ultra fines suos sanctissimos per eundem promovere, vel eodem, quo antea, modo obtinere. Quæ omnia infinitis ejus perfectionibus adversa sunt & inimica. Et in specie quidem primum immutabilitati & omniscientiæ divinæ repugnat; non enim potest, murato jam animo, alia, priorum pœnitens, inire consilia. Nec potest quædam sibi displicitura, in mundo hoc, quem ut optimum jam pridem elegit, e postliminio animadvertere immutabilis Deus, cujus omniscientiæ nil quidquam, ne ab æterno, quidem, sese subducere potuit. Et si po-

namus, Deum ideo elegisse hunc præ ceteris mundum, quod optimus primum quidem fuerat, sed qui, transacto certo temporis intervallo, in deteriorem recideret statum, atque hinc eo ipsum sine produxisse, ut per temporis spatium certum tantummodo duraret; sapientiæ non sic satis consulisset, ideo mundum condens, ut eum postea non esse vellet. Eadem quoque ratione alterum, pariterque tertium, non omniscientiæ modo & sapientiæ, sed & omnipotentia divini infinitæ adversatur; media enim novit & adhibere valet, quibus, eodem, quo hætenus, modo mundum in existendo conservet; simulque finibus suis optime cuncta in æternum usque subordinare scit & potest infinitus ille Deus, cujus perfectionibus illimitatis figi non possunt termini (§. auct. 39). Hinc quamvis 2:0 universum, in instanti, vi omnipotentia suæ, perdere possit, id tamen sapientia, media finibus nequens, nullisque circumscripta terminis, nunquam permittit; cui quippe contrarium foret, deleto mundo adspectabili, entibus rationalibus occasionem illustrandi gloriam divinam subripere, quem quidem in finem conditum est totum hoc universum. Durante scilicet sine creationis, qui alius, quam manifestatio perfectionum divinarum, esse nequit, in perpetuum durare quoque debent, quæ creata sunt omnia (§. a. 37.). Et quamvis concedat auctor, beatis, in futura vita, non defuturam occasionem, cognoscendi immensas Dei realitates, putat tamen luculentius easdem, in ipsis mundi operibus, conspici posse, quemadmodum & adspectabilem hunc mundum, eum in finem,

nem, primum produxit Deus (§ a. 43.). Unde *Carpovius* quoque: manifestatio, inquit, perfectionum divinarum, quam Deus, ut finem ultimum, sibi propositum habebat, effecit, ut mundum crearet; neque vero Deus manifestationem qualemcunque, sed optimam & excellentissimam, voluit obtinere. Fingamus autem Deum conservare non velle mundum, quem creando produxerat, ita in nihilum, quod fuerat ante creationem, recideret. Hoc vero facto, deerit medium, quo manifestatio realitatum divinarum, obtinenda erat; adeoque Deus sine, quem per creationem intenderat, frustratus esset. Saltem haud excellentissima, sed exigua fuisset perfectionum Dei manifestatio. Quis enim dubitavit, tractu temporum longissimo, longe majorem, quam exiguo spatio, manifestationem perfectionum divinarum fieri posse? Adeoque Deo; manifestationem eamque amplissimam volente, fieri non potest, quin mundum creatum conservet. Cum vero conservationi opponatur annihilatio, ut posita una altera locum habere nequeat, ita ex fine Dei ultimo, non velle Deum universum hoc annihilare, intelligitur. Et quatenus 3:o sapientiæ est eligere optimum, majorem vero existentia, realitatis omnis basis & fundamentum, sine qua nulla concipi potest perfectionum capacitas, inferat realitatem, quam nuda sine illa possibilitas; Deus existentiam omnium, ut sapientissimus, non potest non conservando sustinere. Idque vel ideo, quod 4:o maxime ad illustrationem omnipotentia divinae faciat, in existendo mundum conservare, atque sic perpetua

activitate & continuo potentiaë exercitio, re ipsa, divinam virtutem demonstrare, hujusque nova semper prodere indicia, quæ, deficientibus operationum suarum objectis, exhibere non posset. Neque, mundum delendo, novum potentiaë documentum præberet Deus, rationalibus antea incognitum; cum posse eum in instanti omnia ad incitas redigere, facile sana cognoscat ratio (§. a. 42.). His in summam collectis luce meridiana clarius patere credit auctor noster, Deum mundum hunc nunquam annihilaturum.

§. XXVIII.

Atque sic ex dictis jam constare putat, rationem interitus mundi, neque in ipso, §. 25. neque extra ipsum, sive in entibus finitis §. 26. sive ipso Deo §. 27. inveniri; hujusque totalem interitum, non naturali tantum firmitati rerum, seu earum indestructibilitati, sed & maxime attributis divinis, finique creationis, e diametro repugnare §. §. cit. Atque hinc per annihilationem nunquam transibit ille §. 24. Finge vero, mutatione quadam, vel essentiali vel accidentali, in alium tantummodo hoc universum transferendum esse statum §. 23. fieri primo debet mutatio essentialis vel per destructionem, vel per transformationem §. 21. Neutrum vero, si hunc audias, locum habere facile evincitur.

§. XXIX.

De mundi destructione, per nudam partium dissolutionem, futura, præter Epicureos, aliquis unquam ne somniavit quidem. Et pone tantisper illam. C
incipis,

cipis, post factam rerum dissolutionem, elementa ipsa, seu prima rerum stamina, quoad essentiam suam immutabilia, sive illa simplicia sive composita esse putes, una cum animabus brutorum, in existendo nihilominus perseverare; adeoque sic, sine nexu & ordine omnia, dissoluta mundi adspectabilis compage, sine structura, aptaque partium conjunctione, per immensa mundi spatia circumferri, & quasi per loca deserta oberrare. Insulsa vero illa suppositio uti omnem evertit rationem, omnemque penitus tollit sapientiam, præterquam quod iisdem, quibus ipsa universi annihilatio § 27. prematur difficultatibus, nulla seipsam veritatis specie commendare potest. Cujus, quæso, esset mundus iste elementaris utilitatis, & in quem existeret finem? Annon dignus esset, qui, sublata gratia divina sustentatrice, in nihilum recideret? Neque tandem, si ponatur transformatio ex elementis istis, alius, a priori tota natura diversus oriri potest mundus, qui essentialem passus mutationem, majori novoque ornatu, & splendidiori habitu, procederet. Repugnat nimirum hoc essentiæ immutabilitati, cujus intuitu nihil in pristino meliorem statum transferri potest. Repugnat quoque sapientiæ divinæ, quæ in prima rerum constitutione, universum jam maxima perfectione essentiali, seu quam essentiæ respectu admittere poterat, condècoratum, non potuit non producere (§. a. 48.).

§. XXX.

Neque minus falleretur, qui existimaret, Deum

O. M. annihilato hoc universo, aliud per omnia novum præstantiusque ex nihilo producturum; repugnat enim annihilatio præsentis universi demonstratis. Nec quoad essentiam ipsam mundus optimo melior possibilis esse potest; simulque indignum foret sapientia divina, viam ubique brevissimam eligenti, primum producere mundum maximis laborantem nævis; huicque, post longum temporis intervallum, novum substituere præcellentiorẽ.

§ XXXI.

Cum jam neque totaliter interire seu in nihilum recidere queat mundus §. 28. neque essentialis, ulla ratione, capax sit mutationis §. 29. nihil residuum manet aliud, quam ut accidentalem mutationem subituum affirmemus pulcherrimum hoc universi systema; ab alia quacunque vicissitudine alienum §. 23. Possibilitatem vero accidentalis hujus, quæ essentiam non afficit, alterationis, facile agnoscit, qui contingentiam mundi, ejusque finitudinem, intelligit; simulque perpendit, Conditorem universi summam potentiam suam & sapientiam omnem, viresque infinitas omnes, in hac universi constitutione, penitus non exhaustisse (§. a. 50. seq.). Actu vero subituum hunc mundum talem, qualem diximus, essentiamque ipsam non concernentem, mutationem scriptura docet; & exinde colligitur, quod amplissimam gloriæ suæ illustrationem intendens supremum numen, sic quoque, mundum restaurando, excellentioribusque qualitatibus exornando, novum maximumque sapientiæ & infinitudinis suæ argumentum, rationalibus suppeditare velit.

§. XXXII.

§. XXXII.

Addi his suo jure merentur, quæ hanc in rem, breviter quidem, sed, pro more suo, concinne magis & nervose differit Celeb. *Cantzius*, tam alibi passim, quam maxime in *Phil. Fundam. Ppsych. Sect. I. Cap. 7.* Hic perennationem animarum brutorum, post exitum ex hac vita, eadem fere ratione, qua immortalitatem animæ rationalis, adstruit. Primo quidem argumento ontologico: ex ipsa entium simplicium indestructibilitate intrinseca & naturali. Deinde ratione cosmologica: ex ipsa mundi optimi idea, cujus nulla, neque in singulis neque universis, perire potest realitas, nisi aliunde majori compensanda. Unde si compositæ substantiæ perfectio decedit, unius corruptio est alterius generatio. Atque hinc animæ brutorum post mortem non possunt non & existentiam & claras perceptiones retinere. Idem quoque postea argumento psychologico probat; servata namque existentia animæ bruti, essentiam suam, quæ in vi repræsentativa consistit, amittere nequit, cum illa privari nulla possit substantia; confr. §. 20. Adeoque, cum nihil sit, quod vis & facultatis istius impediatur exercitium; repræsentationes suas, eadem legitima serie, continuant; nec ulla datur ratio, cur, illarum respectu, in deteriorem ruant statum. Et denique rationibus ex Theologia Naturali petitis idem evincere satagit; cum scilicet Deus, vi bonitatis infinitæ, tantis creaturas ornet perfectionibus, quantas per essentiam recipere possunt; longissime abest, ut realitate aliqua, vel inprimis existentia, omnis realitatis basi

basi & fundamento, creaturam exuat, & hoc quidem sine culpa omni, cujus capacia non sunt bruta animantia. Cum vero facultatem sentiendi post mortem quoque retineant bruta, sentiendi mediis, organis nempe sensoriis, destitui nequeunt; induent ergo corpora, sed iis, quæ, vitam cum morte commutantes, deposuerunt, longe nobiliora & subtiliora.

§. XXXIII.

Bruta hæc, quæ sic innovata majoribusque aucta perfectionibus, in existendo perseverant, ad mundi perfectionem conferunt, & rationalibus objectum gloriæ divinæ afferunt, quam omnis generis etiam in altera vita objectis illustrari sapiens divina postulat benignitas. Et præterea, cum animam humanam vel ipsum hominem juribus non privet, sed augeat ejus immortalitas, existere quoque debent animantia irrationalia, in quæ dominium exerceat. Imperio enim in bruta nos ornat natura rationalis, quod, inter cetera, testatur quoque facultas robustissima etiam animantia domandi; neque illorum jura, quorum incapacia penitus sunt, ullo dominio violari possunt. Nulla ergo adest ratio, cur imperandi facultas & aptitudo actum non consequatur.

§. XXXIV.

Cum vero, eodem fere modo, constet, nullum perire posse elementum, quippe quæ singula simplicia sunt, similiter hinc porro sequitur, nullam in universo substantiam penitus annihilatum iri. Hinc ulterius recte concluditur, in existendo quoque perseveraturum hunc globum terraqueum, & quidem non omni orna-

tu vacuum, sed majori vestitum. Remanebit totum universum, sed innovatum atque splendidius. Atque sic habitaculo non destituentur res materiales, locum repletive occupantes; neque objecta deerunt sensibus substantiarum animatarum. Et sic quoque attributa Dei relativa, quæ intuitive, nisi positis objectis, ad quæ referantur, cognosci nequeunt, ad oculum quasi contuenda exhibentur. E. g. Idea creatoris, conservatoris, gubernatoris, omnipræsentiae, sublatis omnibus existentibus, difficulter animo concipiuntur.

§. XXXV.

Subsidium præterea & robur argumentis suis mutantur ex Scripturæ Sacræ effatis, non tam illis, quæ quondam mundo æternitatem tribuere videntur; e. g. Deut. 33: 15. Ps. 89: 29. 30. 148: 6. Eccles. 1: 4. 3: 14. quam iis potius, quæ specialius huc spectant, & de universi vel mutatione vel restitutione seu innovatione agunt, ut Psalm. 102: 26. 27. 104: 5. 29. 30. Esa 30: 26. 51: 6. 65: 17. Rom. 8: 19. seq. 1. Cor. 7: 31. 2. Petr. 3: 10. seq. Apoc. 21: 1. Sic & de mutatione tantum accidentali alia interpretantur loca, quæ de consummatione sæculi agunt. Matth. 19: 28. 24: 35. Marc. 13: 31. Luc. 16: 17. 21: 33. Act 3: 20.

§. XXXVI.

Ex sacris vero literis edocti, mundum novissimo die conflagraturum, cunctaque igne consumtum iri, nec aliam, quam quæ vulgari incendio fieri potest, expectandam universi destructionem, volunt. Concludunt enim, composita quidem corrupta igne dissolvi;

F

sim-

simplicia vero, qualia sunt præter animas quoque brutorum, ipsa corporum elementa primaque rerum stamina, incendio deleri non posse, atque hinc interitum mundi tantum accidentalem, non vero substantialem futurum; cum scilicet ignis, qualiscunque demum fuerit, essentiam tamen compositi retineat, adeoque simplicia vix afficere, multo minus penitus consumere & annihilare possit. Idem præterea inferunt ex instituta ultimæ per conflagrationem futuræ consumptionis cum diluvio collatione. Matth. 24: 37. Luc. 17: 26 2 Pet. 3: 6. 7. Quemadmodum nimirum ipsam mundi substantiam non deleuit inundatio, sic nec eandem penitus abolebit ultimum incendium.

§ XXXVII.

Demonstravimus sic ad mentem eorum, qui, totalem mundi interitum negantes, aliquam duntaxat ejus admittunt mutationem, quoad qualitates tantum alterandum atque innovandum esse hoc universum. Restat jam, ut, quanta in sit argumentis illorum vis, quantumque demonstrationi, quam Mathematicam dicunt, roboris, paucis dispiciamus.

§ XXXVIII.

Cum contingens sit, cujus oppositum esse potest; quidquid contingenter existit, illud, quia tale, potest æque non existere atque existere. Adeoque in ipso non est ratio, seu aliquid, ex quo intelligi possit, cur potius existat, quam non. Et pone, contingens existentia suæ in se rationem continere, erit necessarium; hoc enim solum in se existentia suæ rationem habet; erit
quoque

quoque infinitum; cum entis infiniti attributum proprium sit per se existere, quæ manifesto implicat. Hinc neque seipsum existens reddere, sive producere ullo modo potest, nisi existere, antequam existit, absurde concipiatur; quatenus enim non existens agere nequit, & existere deberet, dum adhuc nihil privativum est, in statum existentiae producendum. Quod vero suæ ipsius non sufficit existentiae, multo minus alterius primam, sufficientem & radicalem in se continere potest rationem; adeoque contingens neque in aliis suæ seriei entibus rationem existentiae suæ sufficientem invenire potest. Neque enim, rationi alicujus rei reddendæ, progressus in infinitum sufficit; ratio quippe ultima sola sufficiens est, reliquæ intermediæ insufficientes omnes.

Schol. Non negamus, finita sive contingentia, est enim omne contingens finitum & contra, posse producere alia finita, quæ non eodem modo antea existerunt, existentia vel aliunde transfusa, vel in aliam formam mutata; finito autem mere possibili, nec ulla-tenus antea existenti, existentiam conferre nequit. Quin & productio substantiæ alicujus, ex materia præexistente habili, quæ mediantibus causis secundis finitis solet fieri, non tam his, quam causæ primæ, ex nihilo, mediantibus causis istis & materia præexistente, rem producenti, tribuenda est. Unde quot sunt contingentia, tot etiam luculentissima prostant existentiae entis necessarii seu infiniti, h. e. Dei, testimonia.

§. XXXIX.

Quodlibet possibile, cum nullam involvat contradictionem, seu prædicatorum repugnantiam, aptum est ad existendum; ad hoc vero, ut actu existat, non sola in contingentibus sufficit possibilitas intrinseca §. 38. sed adesse ejus debet ratio in alio existente; adeoque existere nequit, nisi adfuerint vires existentiae conferendæ sufficientes. Et cum non modo possibile sit, quidquid actu existit, sed infinitus plane sit possibilium numerus; existant quoque, necesse est, vires infinitæ; alias enim daretur possibile, quod existere nunquam posset, quod cogitatu quidem est absurdum. Cum vero mere possible, quæ existentiam antea nullam habent, eamque, nisi adplicatione virium sufficientium causæ efficientis, acquirere nequeunt, omnia, respectu existentiae, ejusdem sint conditionis, eandemque ad suam causam habeant relationem; vis, quæ unum eorum existens reddere, alterum quoque producere potest, ipsaque efficacia, quæ exercetur in unum possibile ex nihilo producendum, eadem plane est, quæ versus alterum adhibetur. Existencia igitur unius possibili infert vires, quæ se eodem modo habent ad reliqua possible quæcunque; quorum cum infinitus sit numerus, infert vires infinitas. Cum porro virium infinitarum nullus detur gradus, tanta, ad unum possibile, quam omnia producenda, requiritur vis. Actus, quo mere possibile producitur, seu nihil privativum existens redditur, *creatio* dicitur; hinc creatio unius substan-

tiæ, non minus ac omnium, vires supponit infinitas.

§. XL.

Quemadmodum contingens seipsum existens redere seu producere nequit §. §. 38. 39. ita nec rationem existentiaæ suæ continuatæ in seipso continere potest. Vel, quod idem est, uti primum existendi momentum finiti cujuscunque, sic & alterum & reliqua omnia, ab ente infinito dependent; ut non minus impossibile sit, ipsi in existendo persistere, quam in existentiam primum prodire. Propria enim vi existere vel existentiam a se ipso habere, attributum est solius entis infiniti, finito incommunicabile. Et pone, contingens existentiaæ suæ continuatæ in se ipso rationem habere; illa vel in essentia, vel ipsa existentia dabitur. Non vero illud; foret sic existentia per modum attributi necessaria, quod contingentia e diametro repugnat. Neque hoc: si enim ratio existentiaæ in ipsa existentia contineretur, ita ut existendi momentum posterius a priori dependeret; semel existens nunquam posset interire, cum, posita ratione, ponatur id, quod per eam est, quod falsum similiter esse nemo non videt. Accedit, quod existentia ab alio dependens §. 38. sufficientem & radicalem alicujus rationem continere nequeat. Contingens ergo propriam existentiam continuare, multo minus alterum in existendo conservare, nequit. Continuat ergo existentia finiti cujuscunque, per efficaciam voluntatis divinae continuatam, quemadmodum per eandem vo-

luntatem divinam eam in creatione accepit; ita quidem, ut ad existendum, omni momento, Deo infinito indigeat quodvis finitum. Cum jam continuatio actionis illius divinæ, qua contingenti, quod de se nihil erat, existendi realitas confertur, seu actus, quo existendi continuatio finitis datur, *conservatio* audiat; intelligitur hinc, conservationem non esse nisi continuatam creationem. Per illam enim Deus iis, quæ sine ipsa in nihilum quolibet momento reciderent, existentiam largitur, seu existentiam dare pergit. Actio durationem præstans, non est nisi perpetua illius, quæ existentiam præstitit, replicatio; duratio enim aliud non est, quam existentia replicatio. Hinc conservatio eodem modo, quo ipsa creatio, vim & potentiam infert infinitam §. 39.

§. XLI.

Contingentia, per actum divinum, quo in creatione existere cœperunt, continuatum in conservatione, existentiam continuant, ita ut, eo cessante, existere desinant, in pristinum suum nihil recedentes §. 40. quemadmodum cessante causa cessat effectus. Non ergo annihilari §. 19. aliter, quam cessante actu conservationis possunt, veluti nec nisi per conservationem existere valent. Si enim contingens se ipsum, ut alia contingentia, quæ gratia Dei conservatrice sustentantur, annihilare posset, vis ejus potentiam Dei infinitam excederet, quod absurdissimum est statuere aut cogitare. Solus ergo Deus existentia annihilare valeret, & simplicia quidem nonnisi in instanti, composita vero

vero sive in instanti, sive successiva partium dissolutione per destructionem.

Schol. Facile vero quisque intelligit, non heic negari, composita posse se mutuo dissolvere atque destrueri, destructio vero non est annihilatio.

§ XLII.

Cum *mundus latissime acceptus* sit universitas, vel complexus omnium contingentium simultaneorum & successivorum inter se connexorum; adeoque extra ipsum nihil detur, præter unicum ens necessarium & infinitum, omnium causam scilicet Deum, ex dictis §. §. 38. 40. 41. facillimo negotio colligitur, mundum non existere necessario, neque posse seipsum producere, conservare, aut denique annihilare; qui actus singuli contingentium, utpote finitorum rationem & vires longe superant. Entium vero mundum constituentium contingentia, ex singulorum multitudine & mutabilitate, quæ contingentiam supponit vel involvit, simulque entis infiniti unitate, facile infertur. Est itaque mundus hic adspectabilis a Deo ex nihilo productus sive creatus, cum aliter oriri non potuerit; a Deo quoque in existendo conservatur; & ab eo denique, si interibit, annihilabitur. Cum vero sapientissimus, cujus summa & illimitata est libertas, nihil frustra & sine ratione agere possit; creatio, conservatio & annihilatio rationes utique supponunt sufficientes, vel fines certos & sapientiæ divinæ convenientissimos.

§. XLIII.

Deus, secundum consilium sapientiæ, per liberum
omni-

omnipotentiaë exercitium §. 42. mundum hunc, in gloriam suarum perfectionum ex abundantia bonitatis suæ produxit; eundemque in finem illum adhuc vi bonitatis suæ infinitæ conservat. Cum enim motivum, seu ratio determinans voluntatem intelligentis & libere volentis, ad aliquid agendum vel adpetendum, in genere sit bonum quid; finis vero, seu id, ob quod, ut existat, ens intelligens agit, ex motivorum numero sit; finis entis intelligentis semper erit bonum aliquod obtinendum. Adeoque, cum Deus, pro intellectu infinito & voluntate perfectissima, non possit non, ex omnibus possibilibus distinctissime cognitis, velle optimum; singulaque velit pro mensura bonitatis eorum; finis ultimus, quem actionibus suis ad extra omnibus intendit, necessario erit finium omnium possibilium optimus, igiturque, cum ipse sit bonum absolute summum, ad eum ipsum aliquo modo se referens. At manifestatio perfectionum & realitatum divinarum est finis, qui ad ipsum Deum refertur; nec quidquam, præter manifestationem hanc, respectu Dei heic reperiri potest, cum sibi sit sufficientissimus, omnesque cum omnitudine, h. e. infinitas, sine gradibus, limitibus & successione, possideat perfectiones, quæ neque augeri, nec minui, nec mutari possunt; eam ergo, inquam, manifestationem realitatum suarum, & quidem maximam, quæ obtineri poterat, ut ex genere finium possibilium optimum, sibi propositum utique habuit & habet. Finem hunc maxime vult, cum seipsum voluntate naturali, omnis voluntatis divinæ reliquæ norma,

ma, maxime velit, nec quidquam, quod huic erga se ipsum inclinationi repugnat, velle possit. Manifestatio autem perfectionum divinarum gloria Dei relativa dicitur; finis ergo omnium operationum divinarum est gloria ipse. Idemque adeo creationis quoque & conservationis, quæ continuata est creatio, finis erit. Ita vero cum fine hoc ultimo, seu omnium optimo, connectitur bonum creaturarum proprium, sive perfectio earum promovenda, ut ab ipso nullo modo separari possit. Deus enim manifestationem realitatum suarum summam excellentissimamque intendens, actuali potentia & bonitatis suæ infinitæ manifestatione, creaturarum perfectionem promoveri quoque voluit. Vi bonitatis suæ inexhaustæ tantum perfectionis creaturis conferre vult, quantum per essentia limitationem recipere possunt; eas igitur in statum existentia produxit, ut realitatum capaces, & infinitas Dei perfectiones cognoscentes, summæ, cujus compotes fieri poterant, felicitatis participes illas redderet. In gloriam ergo realitatum suarum, immensa bonitate ductus, mundum hunc optimum creavit Deus T. O. M.

§ XLIV.

Universitas spirituum seu entium rationalium *mundus spiritualis*, subinde quoque *Civitas Dei*, dicitur. Complexus vero creaturarum reliquarum, sive animatarum, sive inanimatarum omnium, adeoque universitas contingentium sive simul sive successive coexistentium inter se connexorum, solis exceptis spiritibus, *mundus materialis*

G

audit.

audit. Opponitur hic mundus materialis spirituali, & quæ ad hunc spectant; utrumque autem completitur mundus in sensu latissimo sumtus §. 42.

§. XLV.

Cum manifestatio realitatum Divinarum sit finis creationis ultimus §. 43. manifestari autem dicantur perfectiones Divinæ, dum entibus rationalibus cognitæ redduntur; sine his, summas Dei perfectiones cognoscentibus, gloriamque divinam subjective illustrantibus, mundus §. 42. a Deo sapientissimo creari non potuit. Quoniam igitur mundi spiritualis §. 44. productionem proxime respicit, eamque infert finis creationis, propter hunc immediate existunt entia rationalia §. 44. Et quatenus præterea cum fine creationis connectitur ipsa creaturarum perfectio promovenda §. 43. spiritus autem intellectu & voluntate, adeoque sui quoque conscientia & facultate reflectendi præditi atque ornati, varia non modo perfectionum incrementa admittere, sed & voluptatem ex earum sensu percipere, possunt, simulque redundantis exinde felicitatis capaces sunt; hos inexhausta ductus bonitate præprimis creavit Deus, ut infinitas ipsius perspicientes realitates, summæ, cujus partes fieri possent, beatitudinis, redderentur participes.

§. XLVI.

Fini vero creationis cum non sufficerent entia, quibus fieret, sed simul requirerentur alia, per quæ fieret illa perfectionum divinarum manifestatio; hæc quoque fuerunt producenda, quæ objective gloriam divi-

divinam illustrarent, seu spiritibus objecta exhiberent, ex quibus summas Dei realitates cognoscerent. Neque enim, quod urgent Idealistæ, spiritus finiti ex sua ipsorum substantia, vel suis de corporibus, utut non existentibus, ideis, realitates divinas, tam facile modoque eminenti, quam ex omnibus creatis, atque revera existentibus, pro conditione status præsentis, potuerunt eruere atque investigare. Nec voluit Deus, felicitatem creaturarum rationalium, vi bonitatis suæ infinitæ, promoturus, has ipsas aliorum entium ministerio, variisque adminiculis, usibus earum in vita hac animali inservientibus, destitui.

§. XLVII.

Mundus materialis, qui corpora universi totalia & partialia, singulaque, exceptis spiritibus, animata & inanimata, horumque ordinatissimam dispositionem nexumque complectitur §. 44. gloriam divinam subjective illustrare nequit, cum nullam involvat rationalitatem. Quatenus tamen abunde ubique sparsa exhibet divinitatis vestigia, objective gloriam divinam demonstrat, atque sic speculum *θεογονίας* rationalibus præbet. Quemadmodum enim in speculo ea, quæ intuitive & immediate videri nequeunt, per radiorum reflexionem, sub imagine quadam, repræsentantur; sic contemplantibus artificiosissimum hoc mundi systema, ex eo, tanquam effectu, ad causam potentissimam, sapientissimam, cetera, concludere, atque sic attributa invisibilia ejus, qui videri nequit, infiniti Dei

indirecte quasi intueri licet. Rom. 1: 20. I. Cor. 13: 12. Quamvis similiter felicitatis capax non sit mundus materialis, adeoque dignum idoneumque bonitati Dei infinitæ objectum præbere nequeat, rationalibus tamen victum, amictum & domicilium, cæteraque vitæ animalis subsidia, præstat. Cum ergo fini creationis ultimo subjective subservire gloriamque Creatoris per se illustrare nequeat, nec ipse felicitatis capax sit mundus hic materialis; non immediate ob finem creationis §. 43. existit; sed, positis demum rationalibus, seu mundo spirituali, ponitur, §. 45. Adeoque alium in finem conditus esse nequit, quam ut rationalibus speculum esset divinarum perfectionum, illorumque inserviret usibus atque commodis §. 46.

§. XLVIII.

Mundus spiritualis nunquam interibit, sed in æternum perennabit. Universitas spirituum seu entium rationalium mundum spiritualem constituit §. 44. spiritus autem, utpote simplices, sua natura sunt indestructibiles; adeoque, accedente tantum concursu Dei generali, in existendo persistere in perpetuum possunt. Quatenus vero sunt rationales, finem creationis ultimum subjective promovent, & propter hunc immediate existunt §. 45. Adeoque, cum hic sit manifestatio realitatum divinarum, quam maximam excellentissimamque Deus intendit §. 43. atque hæc tempore infinito præstantior & major obtineri possit, quam arctiori quocunque temporis spatio, eorum existentiam in infinitum continuatam etiam vult §. 40. sapientissimus univ-
mo-

moderator. Et cum præterea cum fine creationis connectatur felicitas atque perfectio spirituum §. 43. hi vero, quatenus finiti, in infinitum incrementa capere possunt, nunquam enim infinitudinem adsequi valent, ultra quam ascendere amplius non liceret; hinc quoque, qui eos inexhausta bonitate ductus creavit, in existendo eos conservat, ut successive majus majusque perfectionis fastigium attingant, atque sic vita fruentes æterna, æternum reddantur felices atque beati. Horum igitur annihilatio, ut fini creationis, ita bonitati quoque divinæ repugnat. Possunt etiam huc jure revocari cetera ex attributis divinis pro perpetuitate mundi superius §. 27. allata argumenta. Et cum anima humana etiam sit spiritus, ex iisdem principiis immortalitas quoque ejus demonstratur. Agnoverunt ipsam, paucioribus exceptis, omnes fere omnium seculorum gentes.

§ XLIX.

Deus, creando mundum hunc adspectabilem, infinitas suas realitates entibus rationalibus manifestare voluit, § §. 43, 45, 46. Ex perfectionum vero alterius cognitione naturaliter oritur honor, hujusque necessarium consequens est cultus. Hinc igitur spiritus finiti omnes ex ipso fine creationis, propriaque sua natura, seu facultatibus sibi intrinsicis & naturalibus, quibus Deum non modo cognoscere possunt, sed & in venerationem & cultum ejus congenita quadam inclinatione feruntur, recta utentes ratione, intelligunt, hanc generalem agendi regulam sibi da-

tam esse, ut Deum, cujus infinitæ sunt realitates, summo honore cultuque prosequantur. Quoniam vero cum fine creationis ultimo connectitur perfectio creaturarum, quam etiam vult Deus benignissimus, simul propriam aliorumque felicitatem sibi promovendam esse eodem modo animadvertunt. Sentiunt sufficientes sibi vires, servandi leges istas, & intuitu intellectus & respectu voluntatis, in ipsa creatione benignissime datas esse atque concessas. Deum præterea totius universi, speciatim vero societatis spirituum seu civitatis suæ, Regem supremumque Monarcham venerantur: se ipsos autem subditos in eadem civitate divina agnoscunt; atque hinc se, ad servandas leges civitatis, obsequiumque omni modo perfectum regi præstandum, adstringi sive obligari, facile colligunt. Maxime, cum Deus optimus pariterque justissimus bona remuneretur malaque puniat, præmiis quidem & pœnis actionibus ipsis proportionatis. Quæ omnia cum sana doceat ratio, extra omne est dubium, eosdem certos esse posse, se præstito perfecto obsequio, præmium, cujus capaces esse possunt, maximum, ex infinita Dei bonitate consecuturos; si vero peccaverint, pœnas gradibus delictorum æquales duros esse. Et hinc quoque animam immortalem post exitum ex hac vita sive felicissimus sive miserrimus manebit status.

§. L.

Non datur major creaturæ rationalis felicitas, præstantiusque bonum, quam si vita æterna in com-
mu-

munione Dei fruatur. Magnitudo boni ex intensione & duratione æstimatur; quo enim intensum magis est, eo plures involvit realitates, &, si exigua ejus fuerit duratio, magnum haberi nequit. Cum jam Deus, qui realitates possidet infinitas, sit bonum absolute summum, ex eo solo summa voluptas percipi potest; unde summa oritur felicitas, & qua quidem major cogitari nequit, si hæc sine fine sit duratura. Est ergo maxima creaturæ rationalis felicitas, præstantissimumque, cujus capax esse potest, bonum, vita in communione Dei æterna. In felicissima hac creaturarum rationalium cum Deo communione, bonitatem Dei infinitam, hujusque suavissimos jucundissimosque in se effectus, ad maximam sui perfectionem promovendam tendentes, non potest non gratissimo sensu perpetuo experiri spiritus finitus, gratiæ divinæ intensissimæ eminentissimo modo particeps. Attributa divina solertius rimando propiusque intuendo, maxima cognitionis incrementa continuo faciet; cum enim immensum perfectionum divinarum oceanum exhaurire nunquam valeat, neque unquam excellentissimum cognitionis objectum ipsum deficiet. Sapientissimum simulque gratiosissimum Dei regimen, in civitatis suæ subditos, spiritus omnes, cujuscunque demum fuerint generis vel gradus, omnemque gratiæ divinæ œconomiam, nunquam fatis summa & devotissima admiratione venerabitur. Accendetur in intellectu ejus ex intimiori realitatum divinarum intuitu, essentiarum, quas in hac vita mente comprehendere non potuit anima humana,

rerum

rerum existentium cortices tantum rodens, plenior cognitio, qua recordatio status præteriti, immortalitati animæ involuta, sufflaminatur. Maximum hoc atque continuum, ex communiōne Dei æterna, dependens & sponte quasi fluens cognitionis augmentum, non potest non voluntatem singulari afficere voluptate, animumque, qui ex sensu perfectionis voluptatem percipit, inexplicabili perfundere lætitia. Felicitati huic superaddita perpetuitate & duratione infinita, major concipi nequit beatitudo.

§. LI.

Deus vi bonitatis suæ infinitæ summam creaturarum rationalium, h. e. civium seu subditorum suorum vult felicitatem §. 43. 45. 49. omnemque iis, cujus capaces sunt, perfectionem confert. Summum vero eorum bonum in communiōne cum Deo æterna consistit §. 50. adeoque aliquando in aula civitatis Dei, seu loco, quo Deus majestatem suam civibus modo plane eximio & excellenti manifestat, præmio illo vitæ æternæ felicissimæque, in jucundissima cum ipso communiōne, a Deo donandi sunt §. 49. Hinc indidit quoque Deus rationalibus studium atque desiderium amplificandæ & promovendæ propriæ suæ felicitatis, quo naturali stimulo excitati, augeri perfectionibus in infinitum cupiunt. Cum vero intensissimum, quo ducuntur, beatitudinis desiderium satiare & explere nequeant finita & caduca, quæcunque demum fuerint, minime vero res materiales, quæ absolutam non admittere possunt realitatem, quod exinde facile colligitur, quod

quod in Deo locum non habere possit materialitas, eodem felicitatis desiderio ad summam in Deo infinito omnis boni fonte beatitudinem quærendam impelluntur.

§. LII.

Quæ vero corporum, quibus nonnulli spirituum finitorum vestiuntur, statum post mortem, futuramque resurrectionem, attinent, ea non nisi ex revelatione evidenter cognoscuntur. Quamvis ex concessis animæ humanæ facultatibus sentiendi, imaginandi & reminiscendi, quas perferri non vero amitti, facta in statum præstantiorem transitu, convenit, quibusque residuis memoria præteritorum facilius explicatur; & exinde quoque, quod in morte non prima corporum elementa pereant, sed tantum dissolvantur, corpusque in cineres solummodo, unde defunctum est, resolvatur; atque tandem ex justitia divina, quæ exigit, ut eadem substantia, scilicet corpore & anima constans, quæ hac in vita bene vel male egerat, actionum suarum reportet fructus; aliqua argumenta connectat, & corporis cum anima futuram reduntionem probabiliter conjiciat ratio; resurrectionem corporum non minus quam primam eorum productionem & conservationem Deo omnipotenti possibilem esse facile pervidens. Docet hoc gentium consensus, & variæ, capite priori, de restitutione, expositæ opiniones. Sic & de mundi materialis consummatione difficilis est quæstio. Ipsum quidem, uti ortum habuit, ita & interire posse, ne-

H

que

que repugnare, quemadmodum a Deo creatus est, ita quoque ab eo solo per annihilationem deleri eundem, facile ratio sibi relicta adsequitur. Ipsius vero interitus actualitatem, modum & consequentias, nisi revelatione excitata, hujusque luce collustrata, definire nequit.

§. LIII.

Supposita vero, de futura aliquando consummatione seculi, revelatione, confr. §. 23. mundum materialem, substantialiter sive totaliter, h. e. qua materiam & formam, adeoque per annihilationem prorsus, §. 19, 22. novissimo die interiturum recte & rationi convenienter statuitur. Mundus materialis gloriam divinam subjective illustrare nequit; nec ipse, felicitatis nullo modo capax, idoneum bonitatis divinæ infinitæ objectum esse potest. Nec denique immediate ob finem creationis existit, sed, positis demum entibus rationalibus, quibus facienda realitatum divinarum manifestatio, ponitur, §. 46. 47. adeoque existentiam mundi materialis necessario non infert finis creationis, sed tantum conditionate, quatenus ejus, pro ratione hujus vel illius status entium rationalium, aliquis esse potest usus. Cum vero hic alius esse nequeat, neque alium in finem productus esse possit, quam ut objecta gloriæ divinæ entibus rationalibus exhiberet, horumque reliquis, pro conditione status præsentis, inserviret commodis §. 47; cessante fine isto mundi materialis, fini creationis ultimo seu mundi spiritualis subordinato, cessabit ejus quoque existentia. Sublato enim

enim sine, tollitur id, quod ob eum est. Qui ergo cessare in futura vita finem istum adeo, ut neque speculum perfectionum divinarum, neque aliud quodcunque ministerium entibus rationalibus præstare possit mundus materialis, demonstraverit, is simul interiturum in ultima seculi consummatione mundum istum evincit.

§ LIV.

Facile vero intelligitur, mundum hunc materialem entibus rationalibus, cessante vita animali, cum omnibus eam comitantibus necessitatibus atque indigentis, & exuta omni status præsentis corruptibilitate, nullum amplius præstare posse usum. Neque ipsius ministerio aut ullis ejus adminiculis indigere, in futuro seculo, possunt beati; vita æterna & felicissima, in arctissima & intima cum Deo communiione, fruentes §. 50. 51. Qua ratione posset mundus hic summæ, quam possident, beatitudini, aliquod superaddere incrementum, cum ipse tantæ non capax sit perfectionis, quæ statui eorum glorificato esset condigna? §. cit. Neque, quod maxime urgent, speculum perfectionum divinarum in futura vita amplius esse potest. Erit enim status spirituum post consummationem seculi aut felicissimus aut miserimus §. 49. Reprobatis vero, carceri tenebricoso inclusis, non licebit mundum hunc adspectabilem intueri, ejusque rimari perfectiones. Nec, si illud fieri posset, inde, respectu eorum, quidquam illustrationi gloriæ divinæ accederet; cum perfectiones di-

vinas, uti decet, agnoscere nequeant. Beati autem in communione Dei felicissima æternum viventes, non in speculo amplius & ænigmate, sed clara & intuitiva visione Deum cognoscent, bonitatis ejus inexhaustæ jucundissimos grata experientia sentientes effectus §. 50. Manifestabuntur illis in aula civitatis divinæ perfectiones Dei infinitæ, modo longe eminentiori, quam per mundum materialem hæctenus fieri potuit §. 51. Et ita quidem cum felicissima illa Dei communione connectuntur omnia, quæ ad gloriam divinam illustrandam summamque spirituum beatitudinem spectant, ut augmenta hæc aliunde capere nequeant §. 50. 51. Cui ergo fini inserviret objectiva illa, quæ per mundum materialem fieret, gloriæ divinæ illustratio? Quid opus est, per speculum, per reflexiones, circuitus & ambages ea indirecte repræsentari, quæ immediate & intuitive cognosci possant? Confr. I. Cor. 13: 12. Quæ vero specialius heic determinari nequeunt, cum parata sanctis gloria nostrum excedat captum, I. Cor. 2: 9. futuræ felicissimæ reservamus experientiæ. Præterea ex fine ipsius mundi materialis facile intelligitur, in eo maximam elucescere illius perfectionem, quod spirituum, ad imaginem divinam conditorum usibus non sufficienter modo inservire, sed iisdem etiam, & homini adhuc integro, adeoque præclaris animæ dotibus viribusque instructo, varia objecta, sagacissimæ mentis indagine digna exhibere, atque sic luculentissima divinarum realitatum indicia præstare poterat & etiam-

etiamnum possit. Interim tamen, non obstante illa mundi materialis perfectione, uti vitæ æternæ ex imensa Dei bonitate destinatus erat homo, ita transacto in his terris, ex divina voluntate, certo temporis intervallo, in statum gloriæ & proximiorum cum Deo communionem fuit transferendus. Quem admodum vero relicto hoc habitaculo & terreno domicilio, ipso amplius non indigere potuit homo integer, sic & ad majus gloriæ & felicitatis fastigium evecti nosmet, illo facile carebimus. Veluti enim lumen majus subito oculos perfundens, eorum aciem fortiter perstringit, & visum quasi occæcat, nisi paulatim in fundum oculi immittatur, sic splendor infinitus perfectionum divinarum finitam animam ita percillit, ut Deum, qualis est, statim & immediate videre nequeat. Hic ergo, quasi per speculum subobscurius Deus prius fuit intuendus, antequam pleniorum eius cognitionem, in altera vita, ex ipsius faciei divinæ intuitu, obtinendam, sustinere poterat. Atque hac jam gaudens priori non indiget umbra. Sunt insuper, incorruptibilitate, quæ imaginis divinæ pars est, indigna admodum objecta mundi materialis, in imaginem divinam non condita. His in summam collectis intelligitur jam, mundum materialem per annihilationem interiturum §. 53.

§. LV.

Non ergo annihilationi huic mundi materialis obstat substantiarum maxime vero elementorum naturalis indestructibilitas §. 25. Sive enim composita

hæc fuerint, siue simplicia esse ex hypothefi dudum jam explofa, de ortu corporum ex simplicibus, ponantur, perinde id nobis fuerit; sola namque conseruationis omnipotentis subtractione, in nihilum recident, quod erant ante creationem §. 40. 41. Nec in specie indestructibilitas animarum brutorum, quæ sine omni dubio simplicia sunt, vel naturalis harum ad persistendum in esse suo aptitudo. §. 32. Non enim difficilius illæ in nihilum quoque abibunt, quam ipsa mundi materialis elementa. Possunt, post dissolutionem a corpore, per mortem bruti factam, in eundem recidere statum, in quo fuerant ante generationem, vel si mavis, prorsus interire, uti corporibus solutæ adeoque per consequens organis destitutæ sensoriis, vitam sensitivam neque per continuas repræsentationes sensuales, neque per memoriam status præteriti, cuius, utpote carentes ideis distinctis, omnino sunt expertes, continuare, ullo modo possunt. Non vero hujus est loci momenti illius decisio; sufficit, quod in ultima mundi consummatione intereant, quatenus partes sunt mundi materialis, vel ad eum referuntur; non quasi materiales essent, sed quatenus non ad spiritualem spectant §. 44. 54. Peribunt scilicet, quatenus nullius sunt usus, nec sibi ipsis prodesse queunt, felicitatis, utpote ratione vacuæ, incapaces. Demonstrata de mundo materiali §. 47. 53. 54. de his valent. Nec harum interitu mundo quidquam decedet, quod non abundantius aliunde compensetur §. 50. Hinc neque injurius in illas est Deus infinite optimus; juris enim subjecta, fatente ipso

Cuntzio, esse nequeunt, vel quod idem est, juris non sunt capaces. Dominium in ipsa bruta §. 33. perfectionem quidem in vita præsentis infert, in qua eorum indigemus ministerio; minime vero in futura beatissima §. 50. 54. Nec denique alio quocunque modo fini creationis inserviunt §. cit.

§. LVI.

Nec cum fine creationis ulla ratione colliditur totalis mundi materialis interitus §. 17. 27. 33. Cessat hujus finis, fini creationis ultimo, pro conditione status præsentis subordinatus, in ultima seculi consummatione §. 53. Et hunc quidquam ad finem creationis conferre in futura vita nullo modo posse demonstravimus §. 54. Aderunt ibi objecta cognitionis nostræ longe nobiliora; præter ipsum nempe Deum infinitum, tota spirituum universitas §. 50. His accedit memoria status præteriti, & intimior essentiarum cognitio ex ipsarum realitatum divinarum intuitu; ut ne fingi quidem possit ulla existentia mundi materialis ratio, aut ullus ejus finis. Atque in hoc πρώτον ψεύδος eorum, qui mundum nunquam interiturum se demonstrasse sibi videntur, consistere putamus, quod quæ de solo mundo spirituali, ad quem finis creationis ultimus immediate refertur §. 42. 45. sequi demonstrari possunt, ad mundum in sensu latissimo vel generali acceptum perperam applicuerint, a parte ad totum sic concludentes. Qui enim finem mundi materialis subordinatum fini ipsius mundi spiritualis ab hoc non distinguunt, mundum materialem cum sibi opposito spirituali pessime commiscentes, non possunt

possunt non mundi in genere, qui spiritus quoque complectitur, durationem infinitam admittere atque adstruere §. 48.

§. LVII.

Hinc neque repugnat interitus attributis divinis §. 17. 27. Non sapientiæ in specie; pro ratione enim finium mundum spiritualem conservat §. 43. 45. 48. 51. Materialem vero delet §. 46. 47. 53. 54. Non immutabilitati, omniscientiæ & omnipotentia; nullam enim Deo infert mutationem, nec aliquem in eo vel scientiæ vel potentia; arguit defectum, media finibus eligere & subordinare convenientissima, his vero obtentis illa rejicere penitusque abolere. Magis infinitis ejus perfectionibus foret indignum, obtento jam fine, quem mundi materialis creatione intenderat, tanta scilicet perfectionum suarum manifestatione, quanta rationalibus opus fuerat, antequam in proximiorum cum eo communionem admitti poterant §. 50. 51. 54, eundem adhuc mundum omni absque ratione conservare. Non id ad omnipotentia; suæ demonstrationem facere potest; possibilem enim esse Deo mundi illius conservationem non minus ac annihilationem novit sana ratio §. 27. 40. 41. Insuperque intelligit, vim infinitam non minus ad unicum spiritum omni magnitudine carentem, quam ad totum vastissimum mundi materialis systema conservandum requiri §. 39. 40. Hinc neque attributa Dei relativa, positis mundi materialis objectis, quam iis sublatis, facilius intelliguntur §. 34. Superest enim mundus spiritualis §. 48. Cogita solummodo hominum extremo die resurgentium multitudi-

titudinem; & plura tibi suppeditari intelliges objecta, quam quæ mundus materialis sensibus tuis offerre potuit. Perpende sapientissimum Dei in civitate sua regimen; nunquam deerunt objecta attributa Dei relativa illustrantia. Taceo memoriam status præteriti, quam involvit immortalitas animæ. Id vero teneas, omnia felicissima Dei communione contineri §. 50. 54. uniusque substantiæ uti creationem, sic & conservationem non minus vires inferre infinitas, quam plurimum §. 39. 40. Nec denique bonitati divinæ ad-versatur mundi hujus interitus. Bonitas enim esset minus sapiens, adeoque Deo indigna, sine aliquo fine ea conservare, quæ nec sibi nec aliis prodesse possunt §. §. 54. 55.

§. LVIII.

Nec annihilationem tollit idea mundi optimi §. §. 29. 30. 33. 34. In quo ejus consistat perfectio §. 54, diximus. Quæ decedere videntur aliunde uberius compensabuntur §. 50. 55. Nobiliora, quam quæ exhibere possit mundus materialis, in futura vita sensus delectabunt §. 50. 56. objecta.

§. LIX.

Minoris vero momenti reliqua sunt argumenta, quæ annihilationi mundi obvertunt. Docent e. g. Habitaculum beatis denegandum non esse, atque hujus vicem sustinere posse mundum materialem maximo vestitum ornatu; §. 17. 34. sed fugiet hic cum omni suo ornatu, ut locus ei amplius non inveniatur residuus

duus §. 53. sequ. cfr. Apoc. 20: II. 22: 4. 5. Et quæ quæso erunt illa terræ marisque ornamenta? Confr. *Gerb. L. Theol. Tom. IX. de consum. seculi. Cap. 5. §. 45. n. 5.* In cælo quidem seu spatio quodam erunt beati; nullo vero indigent terreno sustentaculo spiritus, neque glorificata horum corpora, quod vel exemplo angelorum nulli planetæ alligatorum quadanterus constare potest. Falso præterea fingitur, dari rationis inter hominem ceteraque irrationalia quandam paritatem. §. 17. confr. §. 45. 46. 47. 48. 53. 54. sequ. Nec valet justitiæ æquitas, §. 17. ex qua creaturis ob præstitum hominibus ministerium, præmium vitæ æternæ foret decernendum. Irrationalia enim, uti pœnarum sic præmiorum quoque incapacia sunt. Adstructo sic totali mundi materialis interitu, operæ pretium esse non putamus, ulterius disquirere, utrum mutatio, quam mundo contingere concedunt hujus perennitatem infinitam defendentes, sit essentialis, an vero accidentalis? §. 29. 30. 31. Ex utraque vero suppositione falsa vero similiorem esse priorem illam, contra *Winclerum*, cum *Gerhardo* loc. cit. §. 48. censemus, quemadmodum corpus humanum essentialem subibit mutationem; quod verbo tantum indicasse sufficiat.

§. LX.

Restaret jam, ut uberiolem dictis fœneraturi lucem, explicatis primum Scripturæ Sacræ effatis, quæ de consummatione seculi agunt §. 17. 35, ratio-

rationes adversa sentientium inde derivatas §. 17. 36. brevi subjiceremus examini, quo sic luculentius constaret dictorum cum sacris conformitas. Verum cum id nec temporis nec instituti ratio concedat, & hoc esset falcem alienæ messi immittere, aliis hoc relinquimus; certissimi, nostra auctoritate sacrarum litterarum, si modo recte intelligantur, maxime firmari. Sit vero laus, honor & gloria Soli infinito Deo, qui fuit, qui est atque erit omnis initii expers atque

FINIS.



Öfver närvarande prof

Af

HERR AUCTORENS

i

Apollinis Fält betygade Mannamod och idoghet,

Yttrade således sin fägnad en Vän och Broder

Med Rätta.

At hafva få sin tanka stält,
Det man skal resa ut i fält,
Då man ej värja äger,
Är visslig en fast säfäng sak;
Ja, bygga hus, men få ej tak,
Det lika mycket säger.

At rusta sig med fast och löst,
Men intet hyfa mod i bröst,
Det äfven litet dåger;
Det liknar en som bågans spänd
Städs hafver och förutan änd,
Men låfsa intet vågar.

At visa hurrighet i strid
Ej städse, men til en vis tid,
Det lika vara lærer,
Som gräfva efter dyrbar skatt,
Och innan man den kan få fatt,
Uphöra med befväret.

Men

Men väpna sig och hafva mod,
Samt kämpa in til lif och blod,
Det Kronan vift förvärfrar.
Det namnet heder skaffa mänd,
Och sätta det i sådant stånd,
At det ej råft förderfvar.

Om sådant alt i Martis fält
Bör af den öfvas qvickt och snält;
Som önskar krönter blifva,
Hvad skal man, då om Mufers Män
Sig yttra? Me'n de hafva än
Fast brandtar' berg at klifva.

Ju hinder fler' och vidar' fält
Dem möter mäst, och der de tält
Ska stå och sig tilhålla:
Ju större rustning, mod och id
Wist finnas måst hos them altid,
Om the ej skola falla.

At J, min Broder, detta alt
Ha'n ägt och vift mång tusendfalt,
Thet mer än klarlig lyser
Af detta Edart snille-kram,
Som J med heder bären fram,
Deröfver afvund snyser.

Jag önskar derfor lycka stor
Af den som uti högden bor
Ehr för all nedlagd möda;
Ja, at den dag må snart upgå,
Då jag seck se Ehr krönter stå
Med Lagerträdets gröda!

Clarissimo
Domino CANDIDATO,

Auctori dissertationis hujus
DE INTERITU MUNDI

solertissimo,

Amico singulari.

Que nos inde ab illo tempore, quo primum mihi contigit familiaritate & consuetudine Tecum jungi, intercessit amicitia, sanctior illa & integrior, genuinis Tuis innixa virtutibus, id omnino exigere visa est, ut, cum cognoscerem Te alterum eruditionis Tue specimen editurum, quam ex felicibus Tuis progressibus percepi voluptatem, publico testarer documento. Non eo animo id ago, ut laudum Tuarum existerem preco; neque enim opus est testimoniis, ubi luculentissima rerum prostant exempla. Exhibet illa ipsa elegantissima hæc Tua dissertatio, qua problema illud, celebrius nescio an difficilius, utrum nimirum in totum interiturus, an solum insigni quadam mutatione innovandus aliquando sit mundus hic adspectabilis? exquisito examine discussum tradis; ipsumque, quod caput est cause, ex ovo ad malum, quod ajunt, tanta soliditate, ingenii acumine & judicii accuratatione pertractas, ut que ex utraque parte sit argumentorum vis, quodve pondus, haud difficulter intelligant animum ad ista advertentes. Non enim celebratissima solum de eo argumento sententiarum divortia ab ultima usque antiquitate repetis, sed & principia & fontes, ex quibus profluxerant, ex vetustiarum monumentis summa concinnitate recludis; simulque hypotheses recen-
tiorum

tiorum detegendo, qua successuum serie ad nostra devoluta sit tempora controversa ardua illa & difficilis, non minori eruditione quam elegantia ostendis. Gratulor ego preclaras ingenii dotes a natura faultrice Tibi concessas, indefesso studio & multiplici lectione politas. Gratulor Tibi eruditionem ex intimiori philosophiæ penu haustam, qua quantum ætatis spatia antevertis, tantum equalibus Tuis antecellis. Gratulor Tibi lauream jam virentem, quam premium virtutis & laboris assidui Tibi necit Apollo. Gratulor denique omnibus, quocunque vinculo tecum conjunctis, consanguineum & amicum jucundissimum, exploratissimum. Adsit vero sua gratia honestis Tuis conatibus Numen Faventissimum, ut per longam annorum seriem reipublicæ commodis inservire, & fructus laborum feliciter exantlatorum adsequi possis uberrimos! Vale!

Tuus ex affe,
GAB. KROGIUS,

tionum detegendo, qua successorum serie ad vestigia decolorata
 tempora convertere, et ad illa U. discipulis, non minus erudi-
 tione quam elegantia ostendit. Gratulor ego vobis, quod
 hoc a matre, sicuti et a consue, in ipso studio U. vult
 ripari leguntur. Gratulor tibi exultationem ex intentione
 philosophiae per Lulliam, qua quantum etiam spacia antea
 et, tantum equaliter huius avicellit. Gratulor tibi laetam
 iam videntem, quam primum videris U. laboris effluvi-
 tibi rectis apollo. Gratulor denique omnibus, quoniam rin-
 culorum confusio, confusio, et amicum in confusio
 exploratissimum. Solle vero sua gratia bonis suis conatibus
 Nymphae sacratissimum, ut per longam annorum seriem re-
 blicae communitate inservire, U. sicut laborum feliciter exalta-
 torum adsequi possit abominos! Vale!

Tui ex off.
 CAB. RROGINS